ORATIONES AD VRBANVM VIII. PONTIFICEM MAXIMVM,

Diebus à Sede Apoſtolica Religioni S. Mariæ Seruorum aſsignatis,

Habitæ à Fr. NICOLAO CEO de Cremona, eiuſdem Ordinis Procuratore Generali.

Nunc primùm diligentia Fr. PEREGRINI FASANI de Bononia, eiuſdem Ordinis, in lucem editæ,


Atque

COLLEGIO APOSTOLICO CONSECRATÆ.



ROMAE, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. 1628.

SVPERIORVM PERMISSV.



ILLVSTRISSIMIS, ET REVERENDISSIMIS PVRPVRATIS PATRIBVS.





PERAT opus lucem, vos ergo spirat, & ambit;
Ambit, & ad Vestræ lucis anhelat opem.
Vos lux estis, opus præsens lucem exigit; ergo
Non aliud quàm Vos lumen habere petit.

Ad Pontificias Apes.

SAcram iustitiæ faciem lux digna serenat ;
Aculeum cuius brachia sacra gerunt.
In medio pia flamma sinu feruescit amoris ,
Ex cuius digno pectore cera fluit.
In labris tandem dulcis facundia floret,
Mellifluo cuius manat ab ore liquor.
De throno aculeus, prodit de pectore cera ,
Nectareique fauus mellis ab ore fluit .

Aliud.

INter Apes Regem communis fama fatetur ,
Qui reliquis Apibus nobilitate præest.
Sed tres hic video trino diademate cinctas :
Inter Apes igitur, plurima regna vigent ?
Plurima si vigeant, non sunt diuisa, supremi
Dummodo subiaceant Principis imperio.
Sic non tres Reges, sed Rex erit vnicus Orbis
*V*RBANVS*, trinas qui moderatur Apes.*

Fr. Gabriel Gallus Min.Conu. Baccalaureus Colleg.D.Bonau.

Ad

Ad Auctorem Operis.

DVm NEIKOLAVS *adest, laus & victoria regnant:*
Nam proprium, vt legere est, nomen vtrãque sonat.
Mox nato, & noto laus, & victoria Regi.
Debentur Regum, mystica dona docent.
Quid NEIKOLAVS *agit?* NEIKOLAI *munus adimplet,*
Qui dum est Orator, semper Ouator adest.
Quidquid agat, semper NEIKOLAVS *permanet, ergo*
Dum tanti arcani nuncius orat, ouat.

Fr. Gabriel Gallus Min. Conu. Baccalaureus Colleg. D. Bonau.

Aliud.

QVàm benè dispositos operoso carmine versus
Promis, quàm dulci pectora melle linis!
Mox iucunda affers intento gaudia cordi,
Hinc lingua lacrymas elicis ipse tua.
Decedat Cicero tibi, quin & cedat Apollo,
Detque tibi numeros casta Minerua suos.
Thracius ipse tuis decedat cantibus Orpheus:
Ille rapit quercus, tu benè corda rapis.

Aliud.

FLoribus en medijs floret Nicolaus, *& illæ,*
Quarum sit proprium mellificare, fauent.
Floribus hæc varijs texunt dum nectar, & iste
Inserit in varios florida dicta modos.
Melle auidos pascunt quando illæ hinc indè susurrant,
Dulcia mella, fauus, huius ab ore fluunt.

Fr. Vrbanus Bonebellus Brixieñ. Ord. Seruorum.

Aliud.

MEllea, Cee tibi, facundæ flumina linguæ
Fertilis ingenij viuida prata rigant:
Ingenij hinc viuax in flores se induit Hortus,
Vnde VRBANA trahat munera mellis APIS.
At sacer hic fluuius sacræ dat meßis honorem,
Sacra etenim sacro flumine prata virent.
O age APIS tanti decerpe hæc munera Prati,
Nam diuina sacer flos tibi mella dabit.

Franciscus Saccus Rheginus.


In laudem emittentis in lucem opus.

ECce Peregrini studio peregrina fruuntur
Luce, hæc non licuit tempore posse tegi.
Auctor amat tenebris muto hæc donare sepulchro,
Aeternis tradi mensibus alter amat.
Attamen hic postquàm certando vincit, ad hostem,
Desine iam, dixit, Viuere gaudet opus.

Fr. Vrbanus Bonebellus Brixieñ. Ordinis Seruorum.

AD

AD LECTORES.





BI primùm functus officio, quo Romam vocatus, ad propriam Prouinciam, & lares regressum instare cognoui; reuoluebam animo, quod gratum munusculũ amicis; quando meorum nihil aspectu dignum est, potuissem saltem offerre alienum. Statim venit in mentem, Orationes quasdam in Collegio Apostolico, diebus assignatis meo Ordini Seruorum ad orãdum in Capella Sanctissimi Domini Nostri, habitas à P. Magistro Nicolao Ceo Cremonensi, in Romana Curia Procuratore Generali, apud me ex industria seruatas, dum eidem à secretis coniunctus essem; quæ vsque


in hanc diem, ne lucem aſpicerent, effecerat eiuſdem Patris modeſtia ſingularis; Typis demandare, Collegioq. Apoſtolico conſecrare. Quod nunc ex animo præſto; ſperans hoc meum conſilium quampluribus placiturum; præſertim artis oratoriæ peritis, qui auribus proprijs audierunt linguam miro verborum fonte fluentem,

Has dum fundebat diues facundia gemmas;

Necnon prouinciæ Mantuanæ, talis ſpectabilis filij matri, quæ ipſum genuit, & aluit. Qua ſum in re Pharaonis filiam imitatus, dum Moyſen Nilo fluctuantem, ab aquis eripuit. Accipiant igitur Lectores ex harum lectitatione vberrimam, atque eamdem voluptatem, quam totum Collegium Apoſtolicum excepiſſe fertur, dum illas Vir egregius eructabat.

Exodi 2.

ORA-



ORATIO
IN EPIPHANIA DOMINI
Habita die sexta Ianuarij 1626.





SERVATORIS nostri Natalia insuetæ plena fuisse lætitiæ (BEATISSIME PATER) natura oleum, præter vim fontibus elargita demonstrat: Angelorum oracula è Cœli tripode Terris pacem nunciantia deprædicant: ipsa denique Pastorum munera prima Christianæ obedientiæ authoramenta testantur. At enim qui vitæ filum lætis adeò ordiebatur initijs, felici idem processu pertexit hodierna die. Qua die insolenti stellæ lumine, inusitataque Regum peregrinatione, omnium quotquot sunt hominum mentes hilarat, & oblectat: vt mirum planè sit in tanta gaudiorum messe, solum infantem recens natum, communis lætitiæ seminarium, sibi

ſibi doloris manipulos metere, altos ſcilicet gemitus trahere, & lacrymis cunas iugiter irrigare. Mearum proinde partium erit, dum pro veteri Seruorum Familiæ inſtituto hodiernæ Orationis penſum exſoluo, tanti gaudij, tantique mœroris continuò argumenta percurrere, & rem immenſam ea breuitate tractare, vt in hac hyemalis Cœli feſtinatione, ipſe quoque, traducta in compendium cauſa, videar feſtinaſſe.

Si quæ vnquam ex omni præterita ſæculorum memoria, Romanæ, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ, maieſtatis argumenta extiterunt, (extiterunt autem innumera) quibus generoſæ matris nobilis ſoboles digna efferatur alacritate: hæc hodierno Regum ex vltimis Terræ finibus ad Dei cunabula aduentui cedere, nemo veſtrum, opinor, inficiabitur. Enimuerò ſanè machinabatur iam tum in cunis Reſtitutor mundi, operoſam Eccleſiaſtici Regni molitionem; quibus dum ſceptra, & faſces potentes terræ, prudentes ſæculi demittunt, Eccleſiæ Regno demittunt, cuius Cathedræ dignitas, velut arbor in ſurculo, in Regij infantis præſepio præmonſtrabatur. Neque enim infantulum ex plebe aliquem in alieno ſolo diſquirunt Reges, ad alta manum tendere aſſueti, intacta tranſire iacentia, nec infra coronæ verticem aliquando oculos iaculari. Purpura hodierna luce purpuram cogitat; ſceptra loquuntur diademata: regia meditantur
Matth. 2. Reges; & nata terris imperia, ſpondente ſtella,

Vbi

Vbi est, clamant, *qui natus est Rex Iudaeorum?* Desierat ante annos duo de triginta in Assamoneorum Familia sceptrum Iudae; Dux foemoris eius omnis Herodianis dolis lugebatur amissus; & rerum Hebraicarum summa in sanguinarias saeuissimi lanistae manus inciderat: quo circa nihil supererat, nisi vt, ex antiquorum praedictionibus, Coelo dilapsus Rex nasceretur in Israel; Regnumq. Iudaicum, quod acto in crucem Antigono extinctum fuerat, per crucem restitueret, atque amplioribus spatijs locupletaret. Porrò autem consentientibus gentium votis, vt Rex iste reciperetur, mens Dei fuit in aeris pegmate, quasi in mundi proscenio, stellam pingere; quae non aspicientium dumtaxat oculos insuetae claritatis fulgoribus illustraret, sed & quae mentes prodigiosa luce perfunderet, & ad Regiae cunae indaginem excitaret. Dederat quidem Deus (quod neminem latere arbitror) inde ab vltima vetustate Synagogae Prophetarum oracula ceu tabulas, ex bono exemplo transcriptas, quibus Ecclesiae futura amplitudo verbis nequaquam dubijs significabatur. At verò praesciens allaturos Hebraeorum sapientes oraculis obscuritatem: Scribae, inquit Leo, ad morem periti, vni partium exemplaria cognoscenda porrigit, sibi tamen originaria scripta cõtinuò seruat; pollicetur quidẽ Abraamo nobilem, immensamq. posteritatem, quasi stellas Coeli; sed Coelo interea pollicitationis exẽplum condit: vt cùm putent illi nefariè Scripturis imponere,

Dio histor. lib 49.

Serm. 3. in Epiph.

nere, vero decipulas tendere, & exemplorum faciem, verborum fuco mentiri, *confiteantur Cœli mirabilia eius*, prodeat ſtella, teſtis è Cœlo fidelis, promiſſi regni exordia gentium Regibus oſtentatura. Decurrunt igitur Magi ex vltima Arabiæ Magodia, quos tantæ virtutis lumen exciuerat in agnitionem conditoris Regnorum maximi: & ſtellæ ductricis radijs, igneis veluti quadrigis, feruntur per abrupta montium, per vallium inuia, per ſquallentes arenarum tractus, per toſtas vehementiſſimo Solis appulſu regiones, per æterno frigore rigẽtes plagas. ac vbi Iudææ fines attingunt (vt erant eruditi in prudentia ſæculi) ſub auro ſtatim, & marmore Chriſtum quærunt; in demæniata Ieroſolymorum ſpatia conuertunt oculos; ſed ſtellam amittunt; nimirùm campos amat, non clauditur marmore libertatis Aſſertor; & mœnia Eccleſiaſtico Imperio; (vt cum Bernardo loquar) nec Sol ipſe præſcribit: ex camporum ſtabulis, & ruſticorum mapalibus ſe trudit Eccleſia, puſillus grex imprimis; at melioribus deinde afflata ſyderibus, victrix, triumphatrixque vniuerſi, tranat maria, diſiunctiſſima quæque regionum volitat, & locupletiſſima regnorum acceſſione propagatur. Viſendæ ergo Ieroſolymis Regiæ expectatione fruſtrati, vrbe exeunt; cùmque pedem efferunt, ſtellam itineris comitem rurſus habent; ſequuntur præeuntem, & eius ſtatione ductricis, nullis retrò viſa ſæculis præſepia offendunt, quæ cœli depoſitum, diuinitatis concla-

Pſal 88.

Ser. Epiph.

conclaue excipiebant. Hìc fingite vobis animis agrestem domum, desertam, semirutam, frigidæ tempestati, ventorumq. flatibus vndique peruiam; nihilo tamen minus, inquit Hieronymus, hæc domus, quam fax terris submissa magna dignitate cõuestit, sanctior est rupe Tarpeia, quæ sæpius fulminata ostendit quòd cœlo displiceat. Grande aliquid intus geritur, & omni ratione, omni etiam cogitatione maius. Deus, ipse Deus ex Deo Patre æternùm natus, virgine vtero conceptus, Virgine rursus natus, inter palustres tugurij cannas, & pecorum anhelitus, Virginis lacte nutritur; humano vestitus corpusculo gestatur sinu materno vt paruulus, qui adoratur vt Deus: paruulus in præsepio, immensus in Cœlo: vilis in pannis, pretiosus in stellis. Proh sanctam Fidem! quis tum fuit nostrorum Magorum sensus? qui motus? qui animus? quæ mens? cùm intrantes domum, Diuinitatem in stabulo, maiestatem in fœno, omnipotentiam in fascijs, Verbum ineffabile infans peruiderunt? proruerunt illicò in genua; nam qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit, paruulum in fœno iacentem, sponsum esse filiæ gentilis, qui in ea ætatula nuptias accelerauerat, vt citius ducta Ecclesia, terræ, cœlique discordiæ componerentur. Ad pedes igitur infantis demississimo corporis habitu prouoluti adorant in carne Verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, in hominis veritate Dominum maiestatis; atque obedien

Ad Marc. epist. 18.

Fulg. ser. 5. in Epiph.

Bern. serm. Epiph.

Leo ser. 1. Epiph.

tiam

tiam illi, adorationemque totius Gentilitatis nomine præstiterunt. Et quia Reges nefas erat ad Regem sponsum accedere sine donario, reclusis thesauris obtulerunt ei egregia fidei pignora, aurum, & aromata.

Prudentius. *Miratur Genitrix tot casti ventris honores,*
Seque Deum genuisse, hominem, Deumq. supremum.


Vidisses illic Diuinum puerum fronte in maiestatem composita, ita grauem, vt terreret; ita amabilem vt alliceret; brachiola in amplexum Legatorum Gentilitatis extendere, pedes ad oscula exhibere, & ore silenti hæc in eorum corda verba suauissima influere. *Charitate perpetua dilexi te; desponsabo te mihi in sempiternum, vocabis me deinceps, Vir meus, Dux virginitatis meæ; non vocabit me vltra Baali: & dicam non populo meo, populus meus es tu.* (Iere. 31. Osee 2.) Hæc sunt plena gaudiorum spectacula, quæ anniuersario cultu omnium fidelium mentibus adornantur. Quocirca in hoc Regum aduentu, in quo solẽne venerationis obsequium Romanæ Ecclesiæ Capiti exhibendum expressum fuit, nostrum esset summis gestire lætitijs, voluptatibus efferri animorum, & alacritatis fontibus absorberi.

Sed aliò nos vocant eiulatus Infantis; abstergendæ scilicet nobis sunt diuinæ prolis lacrymulæ, quæ inter iucunda Regum obsequia, cunabula fonte vberrimo perfundendo, eiulat, ingemit, lamentatur, conceptæque ante lætitiæ sensus omnes imminuit, interturbat. Nos lamentorum in causa


sumus,

ſumus: nos infantem dulciſſimum ad tantas, tamq. frequentes lacrymas excitamus; qui ſtella fidei du-ctrice in meliorem ſortem traducti; qui ſui ſanguinis purpura tincti; qui in Regale Sacerdotium vocati, & quaſi regio paludamento exornati, obliuioſi, immemores, vel etiam ſupra hæc nomina peccantes, nullum ipſius puluinari donarium afferimus. Siſtamus aliquando paruuli fletum, & Regum munificentiam imitati, quando ad Regij apicem euecti ſumus, abijciamus ad ipſius pedes; ſeu potius, votiuam quaſi tabellam noſtræ deuotionis interpretem, ſuſpendamus cunarum tholo Aurum pœnitentiæ, charitatis fornacibus probatum, purgatum ſepties; Myrrham animæ mœrorum fontibus lotæ; Thura, non ſudata arboribus, ſed effuſa oculis lacrymarum.

Dixi.



ORA-



ORATIO

IN DOMINICA PASSIONIS DOMINI

Habita die 29. Martij 1626.





EHEM mutatam hodierna die faciem Ecclesiæ, (BEATISSIME PATER) quæ se ad annua Dei hominis parentalia peragenda componit; sui illa sponsi complorare immanissimam necem parat; & multo ante quàm cœli cursus reuoluat, acerbam illam lucem, ne dicam lugubres tenebras, qua palmari Iudæorum scelere per summos cruciatus cruci suffixus

ſuffixus eſt humani generis ſoſpitator, pulla in veſte ſe comparat ad lacrymas; vt habitum induta tristitiæ, renouet in noſtris animis lamentabilis euentus recordationem. Ita illa ſanctiſsimè hoc mœſto rerum apparatu excitare noſtra pectora, percellere ad dolorem, inuitare ad ſuſpiria contendit: porrò autem edocere non anniuerſariam ſolum eſſe debere Chriſti pro nobis demortui commemorationem, ſed anticipatione mentis præconceptam, iugem tanti, & myſterij, & beneficij infigendam cordi contemplationem.

Et verò hoc illud collimat, quod in Canticis de lectiſſima Salomonis ſponſa in capillaturæ ſtructura commendat Spiritus ſanctus, cùm ait: *Comæ eius ſicut purpura Regis vincta canalibus*. Nimirum cincinnos ſponſæ eleganter diſpoſitos, certa lege per interualla diſcriminatos, qui miram exhiberent oculis illecebram, & Regem ad amandum pellicerent, cogitationem eſſe fidelis animæ non herbarum ſuccis, aut concharum alueis, ſed venarum balneis, & illius cruoris canalibus purpuratam, quo Chriſtus Rex Regum apex, veluti dato captiuitatis pretio libertatem attulit homini, & quaſi dotali pignore Eccleſiam ſibi in ſponſam auctorauit. O quæ hic intimè peruadens in adita tanti myſterij cognoſcit beneficia, quæ decora, & honeſtamenta recepiſſe, vnam ſe (ſterili, & effœta Synagoga repudiata,) ad Crucis thalamum maritali iure vocatam eſſe, & ſacramentorum diuitijs, ceu do- *Cant. 7.*

te munificentissima donatam, funesta quamquam memoria recordatur! Neque enim sine causa putandum est eo Iesum corporis habitu expirasse, vt ab Ierosolymis, & Iudæis auersus, Occidentem, & hanc ipsam Vrbem, hanc Sedem Petri, hanc Romanam Ecclesiam intueretur. Verè enim tunc per cancellos vulnerum nouæ sponsæ decorem adamabat: surgebat ex veteri Isaiæ vaticinio signum in Nationes; & nobis percutiebatur silex ille fortitudinis, vt fluxu vberrimo sanguinis, vestræ (Amplissimi Patres) tingerentur purpuræ, tuum istud regnum (BEATISSIME PATER) excitaretur.
Serm. 17. psal. 118. Enimuerò sanguis Christi (inquit Ambrosius) purpura est, quæ Sanctorum animas induit, non modo colore resplẽdens, sed etiam potestate. Tibi quidem igitur Ecclesia, clementissime Christe, his diebus, quibus consceleratis sicariorum manibus, pro tuis mortem oppetere voluisti, pullata in vestibus, deiecta in genis, luctuosa in oculis, mœrorem vndique, & comploratum efferens parentat. Dat hoc tanto mysterio, quod omnem superat humanum non solum sensum, sed captum, quod vincit creatam omnem non solum facultatem, sed mentem. Dat accepto beneficio immenso; dat prolixè, exaggeratèque ingenti hominum beneuolentiæ; sed suæ etiam hoc fidei, & sponsæ authoramento concedit, quòd se in mœstissima hac facie agnoscit decoram, in probris illis gloriosam, in infirmitate fortem, in captiuitate liberam, in blasphemijs in se iactatis lauda-

laudatam, in flagris ſpecioſam, in eluſa maieſtate deridiculo diademate regale Sacerdotium, genus ſanctum, regnum factam, non occaſuri dominij faſces obtinuiſſe: In tuo funere tandem, ſuam, omnium fidelium vitam. Quinimo etiam mihi referre illius diei funebrem excitatam vbique pompam lugentem orbem ſui Creatoris obitum hodiernis luctu,& ſquallore videtur Eccleſia. Sol enim ipſe, cœlum vniuerſum eo die ſubducta veſte Domini ſui lacrymaturum funus aſpectum negauit. Orbis quotus eſt omnis, offuſis vndique tenebris, ſui conditoris in nece mœſtus contremuit. Et quoniam iam oculi, illa videlicet cœlorum lumina, deducta luce, lacrymas indices, & argumenta mœroris ediderant, ipſe horrendis fatiſcens hiatibus, infremens motibus atrociſſimi euentus, in Molitore ſuo conqueri viſus eſt necem. Salomonis Templum horruit victimas, excuſſit honeſtamenta, dilacerato velo, violati Diuini numinis indoluit maieſtatem. Angelicæ illæ, illæ beatæ mentes, quæ materiæ neſciunt conſortium, alienæ à ſenſu, funeſtiſſimi caſus acerbitatem edicente Creatore ſenſerunt, applorarunt. Hoc igitur agit Eccleſia hodierna die, vt tota ſit in ſquallore, & memoria acris illius diei; vt ſponſi funus, quo tam inſignibus honeſtata eſt ornamentis, celebret mœrore quo maximo, lacrymabundas præficas comparat, atrat altaria, mutat diapſalmata, triſtes occinit nænias, vexillum illud, illud labarum luctuoſi certaminis

Matt. 27.

Matt. 27.

 pandit,

pandit, & vbique dolentis faciem decolorem effingit.

Sed quid loquor? nos illo in squallore, illo in luctu nos inuitat, ac impellit ad lacrymas; nobis ista mœrentis Ecclesiæ species proponitur, nobis ista doloris spectra efferuntur, qui in libertatem asserti, qui in gratiam reuocati, qui in amicitiam sumus restituti. Omnia scilicet in sordibus suspirijsq. iacebunt; vnus homo, in quem tantum patuit beneficium, à lacrymis temperabit? lugebunt Angeli illius mortem, quem cœlestium sedium restauratorem agnoscunt; reprimemus nos fletum, dum mortuum nostri generis cernimus reparatorẽ? dolebunt illi Christi lamentabilem vicem, quod indignissimæ internecioni succumbat, quem Dominum reuerentur suum; inhibere planctum, compescere singultus poterit homo, dum sibi patibulatum, sibi cruciarium factum, sibi demortuum contemplatur. Durum hominis pectus (clamat hac in re Bernardus) cor saxeum, non carneum, durissimis adamantibus durius, quod Solis, Lunæ, Stellarum, immò & Angelorum fletibus emolliri nequaquam potest. Itanè creaturæ omnes, vel sensu expertes, in exlegi Creatoris sui nece, exleges lamentabuntur; homo autem sensu, & ratione donatus, reparatoris sui ferum, immanissimum casum non sentiet? O pœnitendam indolentiam, ò dolendam incogitantiam! Hoc est, quod exprobrat Euangelicus ille buccinator, in nobis esse proscriptum


Serm. de Iud. vniu.

Chri-

Christum Dominum, quem in nobis crucifixum habere deberemus: quia nunquam in tragicam illam funestissimam scenam mentis oculos conuertimus, en explicat illam nobis Ecclesia; funeris acerbitatem restaurat, & excitato mœrore tanti beneficij memoriam, vt ne anniuersariæ demus consuetudini, sed serio dolori, atque recordationi, deposcit. Dicebam.







ORATIO

IN EPIPHANIA DOMINI

Habita die 6. Ianuarij 1627.





Plutar. in Lycur.

GRANDE aliquid geritur in Bethlehemi suburbano Præsepio, quod suæ magnitudinis indicem stellam habet. & recurrit animo religiosa Ephororum vesania, quos apud Spartas accepimus sub dio pernoctare solitos, vt si quam stellæ imaginem ex aeris pegmate cadere cõspexissent, Reges suos postremo aliquo facinore Deorum iram concitasse denuntiarent: Præclara sedenim anthitesi hodiernæ nobis imago stellæ denuntiat, cœlestem Regem inter palustres tugurij cannas egregium aliquod opus perpetrasse,

petrasse, quod mortalium in se cogitationem solicitet, mentem stupore defixam admiratione percellat, amorem conciliet. De hoc igitur insigni Dei nuperrimè corporati facinore liceat mihi ex hoc stellæ aspectu, quasi ex cœli alphabeto, & tabula, apud Te summæ christianæ Reipublicæ Ephorum, orationem pertexere.

Enimuerò quoniam in rerum contemplatione Diuinarum mens mortalium peregrinatur; & nisi per vmbras, & velamina offusa ipsa diuinæ lucis pompa se explicet, omnino contorquet, ad sua mysteria seriò recolenda quibusdam spectris, ceu stimulis, animos nostros excitare consueuit Deus. Itaque quam æternitate conceperat humanæ gentis reparationem, cùm admoliri in tempore statuisset: sui hoc altissimi consilij mysterium, sacris ante Prophetarum vaticinijs expositum, admirandis voluit præter naturæ consuetudinem prodigijs contestari. Et vt sexcenta omittam Phænomena ipsius Natalis celebratissima, hodiernam stellam beneficus Diuini solis ortus accendit; scilicet *Gen. 1.* ex primogenis aquis inter nascentis Mundi cunabula ardentes stellarum ignes, partu verè degeneri, prodierunt. Et hæc Regum stella anteambula, sub renascentis Orbis initijs, ex Dei infantis lacrymulis, veluti ex aquis fertilioribus, enatauit. Quod si *Albe. Mag. lib. 2. tract. 2. cap. 7. de Veget.* Protagoræ licuit natura magis, quàm spatijs à nobis dissitos stellarum Orbes rorantibus terræ flosculis (fortunato mendacio) conglobare: cur non ego

ſtellam terris conterminam; veriſſimo præconio florem nomino, ex Nazaræi facie, quaſi ex florum aureola, beato lacrymarum imbre gemmatam? Neque enim tellus florẽ vmquam ſuauius oluit, aut cœlum aliquando ſplendidius retulit, quàm cùm florida ſtella capita gentium in odorata Regna vocauit, nempè in mapale Bethlemiticum, vbi Diuina formoſitas vernat, Virginei ſanguinis minio purpurata. Habet Deus ſua ſidera, quæ vt olim fuit Io. oraculum, quædam veluti nobilitatis ſymbola geſtat in dextera: Vidit enim *ſimilem filio hominis, qui habebat ſtellas ſeptem in manu ſua*. Cùm igitur Dei brachium manum diuinitatis in terram extenderit, humanæ carnis chyrotheca veſtitam, enituit ex oculis, veluti ex chyrothecæ rimulis, huiuſcæ ſtellæ lux ſplendidiſſima; adeoque Magorum mentes perſtrinxit, vt inde Regiam manum in Præſepe cognouerint, neque tamen in Præſepi non adorarint. Scitum eſt illud, & tritum, Heroum cunas inter natale terrarum cœnum cœleſti ſæpe luce ſtellatas, mortalium animos in ſui timorem traxiſſe. Nondum crepundia poſuerat Pericles, & Græciam omnem immiſsis facibus permiſcebat. Adhuc in cunis vagiebat Hoſtilius, & flamma circa caput emicante Romani Imperij proceres deterrebat. Vix dum puerilia Ioſeph dimiſerat, & domeſticos lares ancillari ſtellarum ſeruitio confundebat. Vix Abel hoſtias mactare nouerat, & flamma circa victimam emicante ſanguinariam

Apoc. 1.

Gal. lib. an animal ſit id, quod in vtero. Valer. Max. de prodig. lib. 37.

Gen. 37.

Gen. 4.

nariam fratricidæ animam consternebat. O lætum cœli prodigium! ò diuinæ stellæ vim maximam! vix Christi casulam indicat, & tota Herodis Regia turbatur. Ecce portentum (clamat Hilarius) inermem pertimescit armatus, contremiscit humilem Rex superbus, infantem senex ætatem expauescit. Proh Deus immortalis! vt benè natalem Herois Pueri stella demonstrat, qui prius tela contorquet in hostes, quàm lac à Matris mammis extorqueat. Nam si adhuc pupulus Reges prosternit, quid cùm adultus in arena Caluariæ exerto crucis gladio hostes lacesset in pugnam? si cùm molliculus lacrymas fundit, quid cùm sanguineos globos effundet, cùm pectora nuda intrepidus offeret lanceæ? Omnino elegantes (inquit Rupertus) *oritur stella ex Iacob*, dum Christus oritur, cuius in Propheta iubetur vocari nomen *velociter spolia, cito prædare:* quia antequam Matrem compellare didicisset, spolia didicit auferre Samariæ, robur Damasci, fortitudinem gentium edomare. Sed age (BEATISSIME PATER) quando huius apparentiæ originem, causasque perlustrauimus, enuntiemus tandem Spartarum Ephororum more à Deo commissum facinus, quod suis nobis fulgoribus stella portendit. Sensit sapientium curiosa obseruatio, recentium partu stellarum sobolescere aliquando cœlum, atque affine id esse nostræ materiæ, ex illo splendidæ genituræ argumento coniectauit. Liceat mihi in re nō dissimili idem afferre iudicium,

Hom. 1. in Epiph.

Isaiæ 8.

& ex

& ex Diuini luminis facie, Deum inter & homines affinitatem interpretari. En Dei facinus, quod stella eloquitur. A Diuina hypostasi humana terminatur natura: Suscipitur (inquit Leo) à Maiestate humilitas, ab æternitate mortalitas; natura inuiolabilis homini vnitur passibili, qui omnes naturas condidit, eius fit filius, quam creauit; Verbum Diuinum humana apparet carne vestitum; quod numquam fuit hominis oculis visibile, incipit manibus etiam esse tractabile. Orbis caput Bethlehem, Orbis principium, ipsum caput principiorum, quod erat ante Deus, quàm Sol fieret, quàm Lucifer esset, excipit. Cœli Dominus cœli fit profugus, vt sibi nos non tam profugos, quàm perfugas affinitate carnis coniungat. & qui olim homini subiratus cùm appareret inter fulgura circumseptus igne, inter flammas fulgetris obuallatus, inter nubes resonantes tonitruis apparebat; iam hominis flagrantissimus amans obuoluitur fascijs, instratur fœno, inter ancillantes beluas præ charitatis dulcedine illacrymatur. Itane Deus homo? audeo cõfidenti animo edisserere, eam esse huius operis, cœli asterisco conspicui, magnitudinem, vt quæcumque, vel mente vsurpamus, & sensibus, vel fide à Deo esse facta cognoscimus, huic cedant, & magni sublimitate facinoris, & dignitate. Ite iam Magi, Reges terræ, prudentes sæculi, quos tantum facinus sydus edocuit. Ite multò eruditiores iam quàm ante. Aliam per viam

Serm. 1. & 6. Epiph.

Prudentius.

ite,


ite, & Chaldæis vestris annuntiate Cœli arcanum, stellæ mysterium, opus omnium confessione maximum: *Deum* nempè *manifestum factum in carne, sanctificatum in spiritu, visum ab Angelis, prædicatum in gentibus*, suburbanis hactenus exceptum obsequijs, sed olim pietate colendum. Timot. 1. 3. 16.

VRBANA.

Dixi.



ORA-



ORATIO
IN DOMINICA PASSIONIS DOMINI

Habita die 21. Martij 1627.





PARENTALIS hæc, eademque mœstissima Ecclesiæ facies, & omnium in se comploratum excitat, & Tuam imprimis (PATER BEATISSIME) cōmiserationem deposcit. Ita enim illa, sanctissimè habitum hodie induta tristitiæ, renouat in nostris animis Pontificis omnium optimi lamentabilem recordatio-
Hebr. 9. nem; qui *per proprium sanguinem semel ingressus in sancta*, ibi Sacerdos, & victima ad aram nostræ mortalitatis occubuit. At enim summi parentalia Pontificis Pontificium præsertim animum pungunt, percellunt ad dolorem. Quamobrem hoc Dominicæ Passionis initio, annuum pensum bre-

uissimæ

uissimæ Orationis persoluam, si ex offuso Cruci velamine Christum dolorum Pontificem, cui Ecclesia adornat funebria, proprijs squallore, & cruciatu, ceu cultu, ornatuque sacerdotali spectabilem efficiam.

Innata scilicet illa est Diuinæ naturæ dignitatis præstantia, vt quæ cum ipsa coniuncta aliquando fuerint, attollat, & ex quantumuis infimis summa reddat: non aliter quàm corpus hoc natura sua brutum, motuque vacuum, fit animi societate vigens, ac vegetum; & quemadmodum euenire solet interdum, vt coactus in nubem vapor, Solis obiectus radijs eam lucem, splendoremque concipiat, vt non alieno lumine, sed suis ipse flammis rutilare videatur: ita vapor ille dedecorum, & pœnarum nubes teterrima, quam ex nostra sublatam terra charitatis ardor euexit in Christum, veluti concepta protinus maiestate diuinitatis, fulgurauit augustius; & in Dei hominis corpore non cohonestata modò, sed consecrata, amplitudinem traxit, vel ipsis Pontificiæ dignitatis insignibus potiorem.

Contegebat primò Pontificem byssina tunica, *Exod.* 28. effuso (in morem Serpentis) Baltheo circa pectus accincta, ex veteri Scripturarum oraculo stricta, ac occellata, & vt Hieronymus loquitur, sine ru- Epist. 128. ga. Candida Byssus, est virginalis nostri caro Pontificis, antiqui Serpentis exuuio, hoc est similitudine peccati, arctissimo veluti Baltheo subducta, sine ruga in ligno crucis distenta; iure stricta, iure occellata,

cellata, nempè crucis angustijs vehementissimè appressa, & verbere, spina, clauo, lancea, acu oppidò barbara distincta. Iam verò candidæ tunicæ vestis hyacinthina superimponitur coronatis malis, & tintinabulis aureis ad talos vsque diffusa: quia eadem Christi patientis humanitas, quamquam, vt byssus, ex terra traxit originem, nihilo tamen minus hyacinthina tota est, & cœli gratijs, quasi varijs telæ filis intexta. Mala porrò punica, & tintinabula per gyrum pendentia, vulnera clauorum sunt regalis sanguinis ostro purpurata, & charita-

Zach. 13. tis auro sonora. Vt meritò petenti vati, *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Pontifex ipse respondeat, *His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me*. erant enimuerò quædam amoris eius in nos impressa vestigia, & tintinabula amorem clamantia, & mala punica amore rubentia. Venio ad superhumerale huius Pontificis, pondere, & pretio veteris ephod longè splendidius; patientiam scilicet castigati corporis, quam pretiosior cocco pallor inumbrat, floridior hyacintho liuor emaciat, cruor omni purpura augustior incendit, ipsa retorta bysso candidior integritas illustrat. Et benè quatuor planè coloribus byssino, purpureo, hyacinthino, coccineo, qui quatuor Mundi elementa referunt, superhumerale componi debuit. Nam diuinus hic Atlas totius Mundi peccatis supposuit

Ephes. 1. humeros, vt omnium fieret propitiatio, *& per sanguinem crucis, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris,*

compo-

componeret, inſtauraret. Neque hic vtrique additas humero gemmas onychinas, vnguis humani facie ſpectabiles deſideramus; quando nos homunciones viles, & perditos arte gemmaria per vulnera ſculptos ad Pontificium ſui humeri honeſtamentum acceperit. At illa laceri, perfoſſique pectoris bulla annulatum rationale ſummi iſtius Sacerdotis indicat; qui cùm in hoc natus fuerit, *vt teſtimonium perhibeat veritati*, doctrinam ſpirat ex pectore, veritatem ex corde. Quamquam ſi rem diligentius inſpicio, ac ſuis veluti ponderibus, momentiſque perpendo, illud intereſſe diſcriminis video, quod antiqui rationale Pontificis gemmarum elegantiam, prima ſtatim fronte, prodebat exteriùs: at verò pectus Dominicum ſplendorem cælat interius, quippe cuius *gloria omnis ab intus*. Niſi mauis lancea pectus expanſum aperuiſſe nobis Dei arcana per vulnera, ac inde meritò cor vulneratum Vrim, & Thummim, hoc eſt illuminationem, manifeſtationemque extitiſſe. Vna supereſt imponenda capiti byſſina Cydaris, quæ diuino cœli conſilio portendebat; verum aliquando fore Pontificem, cui coronando molliſſimæ è byſſo Cydari ſpinoſiſſima corona *de capite Amana, de Vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum* (dicam planius) de gentis humanæ aculeis, de culparum omnium tribulis ſufficeretur; ſcilicet non byſſum, ſed ſpinas, quæ non tam caput ornarent, quàm pungerent, nouit hu-

Ioan. 1.

Pſal. 44.

Cant. 4.

Greg. 17. Mor. c. 10.

uit humana crudelitas intexere Creatori. Sed ea est inaugurandi Pontificis ratio (BEATISSIME PATER) vt dona continuò præbeat, & sacrificia offerat pro peccatis: *Omnis enim Pontifex*, inquit Paulus, *ad immolandas hostias constituitur*. vnde necesse est, & hunc à victimarijs accepisse aliquid, quod offerret. Enimuerò sanè Pontifici nostro, cui *omnia dedit Pater in manus*, deesse nequaquam potuit, quod mactaret: *cum enim dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos:* dilexit inquam, quod expendit Apostolus, *vt traderet semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam in odorem suauitatis*. O singularem, & numquam ante visam, vel auditam victimam Sacerdotis! ò admirandam, & omni maiorem cogitatione pietatem! Siccinè verò Christe Pontifex optime, & sanctissime, tam vile tibi fuit *aureum caput* illud pulcherrimum, vt ipsum pro re lutea, pro hostibus, & inimicis deuoueris? Ita nullius pretij corpus illud pretiosissimũ, vt pro cœno ipsum, ac sordibus, in crudelissimam necem immiseris? Cecidisti tu quidem ad aram Crucis, holocaustum amoris; sed immortalis viuis in amoris animata sede in animis nostris.

Hebr. 5. Ioan. 13. Ephes. 5. Cant. 5.


Æquum enim est, vt cùm tantæ charitatis erga nos testimonium agnoscamus, quando parem illi gratiam referre nequaquam possumus, æternam saltem eius memoriam, & perennem pientissimi Pontificis recordationem gratis non modo animis, sed etiam vocibus, & lacrymis prosequamur. Profectò

fectò vt Christi sacrificium conuersum est ad nostram fœlicitatem, non tantùm ad salutem, ita ad nos omnes pertinere debet, vt hoc præsertim Passionis tempore perpetua oblatæ victimæ memoria versetur in animo, laus audiatur ex ore: vt qui participes fuimus matutinæ lætitiæ, expertes ne simus sacrificij vespertini.

Dicebam.







ORATIO

IN EPIPHANIA DOMINI

Habita die 6. Ianuarij 1628.





Dsvm læti ſpectaculi nuncius, (Beatissime Pater) quod quantum in ſe habet, peregrinæ cuiuſdam dignitatatis, & excellentiæ; longè plus autem quam vt à nobis nedum oratione, ſed ne cogitatione quidem comprehendi poſſit, tantum reuera omnium animis afferre debet admirationis, & gaudij. Deus hodie fit nobis ſcena in nuptijs, in Iordane, in Præſepio, quaſi actu triplici, triplicis apparitionis ſolemni pompa recluſa: vt æquum planè ſit ad ea, quæ ex ipſa panduntur myſteria, Cœlum

lum nouo ſydere feneſtratum occurrere, Orientem conuulſum ſedibus properare, & nos pro oculis oculatos animos tantiſper intendere.

Nam cùm eo omnes naſcamur ingenio, vt quæcumque noua, & inſolita accidunt, ijs non modò pro rerum magnitudine oblectemur, ſed parem etiam illi, quam cœpimus voluptati, admirationem mentium coniungamus: Quid tam nouum, & inſolitum, tam prodigioſum, & ſingulare, quàm conuiuam videre in epulis pauiſſe potius, quàm paſci? Scilicet accedit hodie Chriſtus ad nuptias, *Ioan. 2.* vt ſponſa flore vallata lilio, velut *aceruus tritici*, filiorum emittat examina; & Ieſſeæ ſtirpis præſentia *Cant. 7.* diuini exſugens pudoris nectara, in diuitem liberorum ſobolem fœcundetur. At enim deſunt vina ſolemnibus, & terrenus abſcedit potus; vt quod olim ſcripſit Ambroſius, vitis vineæ Domini ſele- *In Ioan.* ctiſſima liquorem vitalis ſucci pretioſiſſimum exprimat, quo ſine vænali pretio perfruamur. Efferuet igitur ſubitò Chriſti vindemia, vertuntur latices in vini ſubſtantiam, muſtum continuò rubet in poculis, & per omnia iucunda menſarum hauſtus Diuinæ ambroſiæ inebriat captos ſuauitate conuiuas. Ita fortunato euentu nobis omnia tranſeunt in gratiam, vbi aqua non ante viſo miraculo tranſiuit in vinum. Molles nimirum erant, atque infirmi hominum ſenſus, aquam fortaſſe frigore exuperabant, & fluxu; ſed nobis hodie in vini ſimilitudinem tranſlatis datur corona pro cinere,

oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.

Iam verò poſt nuptiales epulas, quæ noua habentur in Iordane ſpectacula? dum ex apertis Cœlorum hiatibus abit ad nos Columba ſpirabilis, & ex hac ætheris verſatili machina ſupremi Patris
Marci 1. vox illa reſonat: *Hic eſt filius meus dilectus*. Nunciauerat iampridem Columba poſt veteris eluuio-
Gen. 18. nis procellas, iram Dei pluuiam ceſſaſſe. Et Paraclitus hodie Spiritus in columbæ ſpecie deſcendit, ac ſupra caput Chriſti, præſagio veluti fœlicitatis inſiſtit; vt inde fauſto intelligamus auſpicio, omnia peccata maria, ventos in theſauris recluſos, initam tandem aliquando pacem Deum inter, & homines, æterno fœdere duraturam. Quæ porrò vox Patris in amoris ſignificationem erumpit: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*.
Exodi 19. Audita eſt illa quidem lapſis etiam retrò temporibus, ſed quæ petrarum dura contereret, quæ montium profunda ſubuerteret, quæ minas, ruinaſque tonanti fragore expiraret. Etenim tunc ſui parca, ac paucis mortalium intellecta, ſuas propheticis dumtaxat auribus, animiſque blanditias inſuſurrabat; reliquæ verò mortalitatis ſenſus, obſtrepẽtium catadupa culparum hebetatus, ad diuinæ vocis illecebras miſerabiliter obſorduerat. At ecce vox modò de Cœlo amorem ſonat, *filius dilectus*. Benè ominari iam libet: læua nobis Cœlum tonat hodierna die; non hæc vltricia fulmina, Cœlitum

iras,

iras, terrarumque clades vox murmurat; sed Patrem vitali amoris plaga vulneratum enunciat; sed Deum blandissimi nominis filium proclamat; sed oscula, pacis symbola, & authoramenta obedientiæ filio Deo libare nos admonet, *ipsum audite*. Vt mirandum profectò minimè sit, si huiusce vocis sonus amabilis ad vltimos vsque terrarum fines peruenit. Ad extremam Indiam, quæ hodiernæ vocis sonitum tam verè sensit, quàm olim falsò strepitum solaris currus exaudire credebatur. Ad torridos Æthiopiæ tractus: ad gelidas regiones Scithiæ, quæ hoc suauissimo oraculo delinitæ, sua Idolorum superstitionem sonantia sistra damnarunt. Et vt oras taceam infinitas alias, ad litteratorum Hemicyclos, ad Græcorum Academias, ad Philosophorum Lycea; quæ cœcutientem dedocta sapientiam, dum aras inscriberent ignoto Deo, hinc Dei Patris Deo Filio templa exædificare didicerunt. Sed longioris orationis lumine hic alter nostræ scenæ actus non indiget, qui, & suo satis conspicuus est, & nouæ stellæ accessione illustratur. Nempe vbi Deus terris apparet, ac præsepio excipitur, stella Regum fit anteambula, & ab orientali plaga lætum nobis spectaculum exhibet, virorum, sapientiæ humanæ procerum, qui stabulum Bethlehemiticum subeunt, & venerabundo obsequio, ad Dei hominis pedes prouoluti, Christo infanti munera consecrant, *aurum, thus, & myrrham*. At huius spectaculi pompa prætermissa, in accommo- *Matth. 2.*


 datiori

datiori noſtris animis conſideratione myſterij, pro temporis opportunitate, ſapientius immoremur. Relinquendæ cùm magis ſint voluptates orientis æui, ſpectanda Cœli ſunt nobis ſydera, vt blandiſſimam Dei Seruatoris infantiam nanciſcamur. neque enim fruſtra, cùm alias animantes in ventrem feciſſe pronas, atque abieciſſet ad paſtum, hominem excelſum ad Cœli ſpatia, & ſtellatæ Domus conſpectum excitauit; condidit nos ſapientiſſimus ille rerum effector erecta ad aſtra facie, vt non in humili terrarum loco iaceremus, ſed nouis ſubinde ſtellarum aſpectibus attraheremur ad ſummum, prorſus vt alienum vitæ tabernaculum, in quo verius hiberna facimus, quam habitamus deſpicientes, patrios dumtaxat Cœlorum orbes contenderemus, ibique laboris noſtri fructu cumulatiſſimo potiremur Deo. Cui ille profectò theſauros aperit, ac Thus offert, qui diuinitatem pijs precibus adorat; Myrrham, qui ſua gemendo crimina luget; Aurum, qui recordatus Domini indigentis, ſuos paſcit egenos.

Dixi.

* *
*

ORA-



ORATIO
IN DOMINICA PASSIONIS DOMINI

Habita die 9. Aprilis 1628.





NNIVERSARIVM hoc mœſtæ recordationis officium (BEATISSIME PATER) quo pulla inveſte, ad Seruatoris noſtri parentalia ſe componit Eccleſia, ipſis amariorem lacrymis orationem depoſcit, quæ cruciarij Regis exemplar luctuoſiſſimum ad viuum; hoc eſt, funebri dictione, deſcribat. Quid enim cauſæ eſſe dicemus, cur in hac dierum lugubri facie vexilla Crucis, ceu Regni funeſtiſſimi inſignia proferat, niſi vt eo veluti è ſpeculo oculis continenter obiecto, miſeranda cruciatuum ſpecies retorqueatur ad mentem; ſtatuatque intuentium animus, qualis doloris Rex Chriſtus fuerit, cuius Regnum Crux fuit? Quicumque igitur

in hac

in hac Dominicæ Paſſionis proluſione, & apparatu viſendo occupatus, vexilla, ac ſpolia Regis pœnarum contemplari in ipſo ſuppliciorum fonte non poteſt, animum tantiſper aduertat imagini à me lacrymis verius, quàm verbis coloratæ.

Prius ergo rapit in ſe oculos, noſtri primus Regis prænuncius color chlamydis albæ,quo per deri-
Lucæ 23. diculum ab inſano Rege veſtitus,verè candidatum ſe præbuit dolorum Regni. Nimirum toga indutus idonea deſcendit in Campum petitor nobilis, à Patre humani generis vindicationem, & ſalutem poſtulaturus; ante candidatus per fora benè dedu-
Cant. 3. citur, quàm Crucis *ferculum* (Salomone ſapientior) *purpureo aſcenſu* conſcendat: inuenit mors hactenus inuiſa, ac reformidata mortalibus, qui ipſam effuſiſſimis votis ambiat; & vt conſequatur ſuffragia prehenſaturus, properet ad tribunalia. Neque verò timenda fuerat candido petitori repulſa, qui conſpirantibus ſceleratorum calculis,vltro inſolenti more,raptatur ad culmen non dignitatis, ſed pœnæ. Vix enim Prætor Romanus reducti ad ſe candidati ſpeciem attentius intuens albi agnoſcit coloris indicium; expedit illico faſces, & virgas, & ſuo eum ſatellitio ſublime in atrium deducit, vbi Regibus dicata veſte coccinea purpuraſcat. Nam, vt
Matt. 27. omittam Præſidis milites poſt flagella immaniſſima, ludicra eum,& ſordida purpura, ioculari inauguratione, induiſſe; ſanè cùm detracta furioſo impetu alba chlamydula denudaretur,oculiſque prius

intuentium, quàm fuſtuarijs manibus vulneraretur:
vulneraretur non *oculorum vno*, vt à ſponſa caſtiſſi- Cant. 4.
ma, ſed ſpectantium acie multiplici; rubere omnino
debuit virorum verecũdiſsimus, & virgineæ carnis
membra illa ſanctiſſima innocentis pudoris confu-
ſione velare. Siſtite iam quærere Cœlites, *quare* Iſaiæ 63.
rubrum ſit indumentum eius. Verecundia Regem
ſuum fecit, & ſolemni Regum pigmento colorauit.
Porrò autem quæ eximior purpura, expreſſo fla-
gellis ſanguine, quo totum abundè corpus intinxit,
& ſe ad inſtantem cum hoſte congreſſum paluda-
uit? Verum enimuerò Carmelo Chriſtus æquipa-
ratur in Canticis, dum Oecumenicæ Eccleſiæ dici-
tur, *caput tuum ſicut Carmelus*. vt enim ſublimi fa- Cant. 7.
ſtigio ille cœlo quàm terris propior inſueta vini fe-
racitate laudatur, ſic iſte humanæ conditionis mo-
dum toto vertice excellens, inaudita prodigalitate
in ſanguine vuæ, ideſt in proprij cruoris purpura Gen. 49.
pallium tingit, & ſe ſe identidem dibapho ſaturat,
cuius regalis color, Regem illum *in domo Iacob* æuo Lucæ 1.
ſempiterno regnaturum declarat. Neque tamen
adhuc omnia collata ſunt inſignia dolorum Regi.
Pergunt itaque crudelitatis artifices, & Redempto-
ris caput, omni diademate auguſtius, ſpinis, hama-
to mucrone rigentibus, circumfodiunt. Scilicet
hoc deerat humanæ portentis immanitatis, vt re-
gia non iam auro fulgerent, & gemmis, ſed ſpinis,
& dumis tempora radiarent. Quamquam miran-
dum non eſt, eum redimiri ſpinis, qui de culpa-

rum

rum aculeis triumpharat. Spinoſum ſertum, inquit
Lib. 10. in cap. 23. Lucæ. alicubi Ambroſius, capiti Seruatoris annexum, diuini planè operis munus oſtendit; quod de peccatoribus Mundi, tanquam dumetis ſęculi, triumphalis Deo gloria quæreretur. Diadema igitur fabricare de ſuo iuſſa eſt impietas debellata; ſpinas inuexit; hi enim flores, hoc aurum in Regno impietatis rutilant ad coronam. Redimitur ergo Rex noſter ferali ſpinarum ſerto, vt nos diademate gloriæ
Pſal. 102. *in miſericordia, & miſerationibus* exornaret. Dolorem ſibi aculeorum ſuſcepit, vt gaudium nobis af-
Baruch 6. ferret ſub ſpina ſedentibus; Regnandum coronato fuerat, coronam dumis compactam geſtare voluit, vt cruentum, funeſtumq. ſuum Regnum eſſe monſtraret. Atque vtinam ſeuerũ hoc diuini capitis coronamentum, doloribus, ac pœnis coronidem ſupremam imponeret; nec creſcerent coronales ſpinæ exiles, & graciles nodoſum in ſtipitem vix humeris pertrahendum. Sed creuerunt illæ (BEATISSIME PATER) æſtu impietatis nutritæ, Prætoris manu iniquiſſima irrigatæ: nam lotis manibus contaminatiſſimus Præſes affigendum trunco innocentem poſtulanti permiſit immanitati. Quapropter ſæuitiæ milites, execrandum ominoſæ ſtirpis patibulum Christi humeris imponunt afflictiſſimis; ac inter lictores, & vincula captiuum enixè rapiunt ad montem, vbi gentibus regnet conſpicuus vniuerſis. Laborat Regum optimus ſub trabali ſceptro caducus, nutatque ſub pondere non


tam

tam Crucis, quam Regni. Regnum enim ærumnosissimum properantem grauat, prosternit solo, affligit. Ita meliori sanguinis sui, quàm conchylij succo purpuratus, & nobilis, corona decorus spinea, damnati ligni thronum conscendit; nec communi solum gentium plausu, sed appicto etiam palam programmate, præcipuis Mundi linguis renuntiatur Rex: Vniuerso interea Regem suum agnoscente, nec tam elatis vocibus, quam concisis, scissisque lapidibus conclamante. Vos verò agite oculi; &, si per oppansum Cruci velum licet, aspicite supremam admouentem manum dolorum Regi barbariem. Ipse Rex, qui inungitur Christus, insigne regni consummatum esse denunciat; quin etiam caput inclinat, vt eò facilius, quò propinquius vltima lineamenta attriti vultus appareant. Restat tamen adhuc feritati labor, adhuc superest regio formanda pectori bulla, in qua extremam suæ artis lineam ducat ingeniosa barbaries. Et ecce vobis nescio quis è cohorte factus ex milite faber, vsus mucrone lanceæ pro scalpro in effosso, laceroque pectore pro bulla luculentam plagam efformat. Iam verò quoniam omnia pœnarum Regis insignia sunt producta, & Crucis hodie propositæ reseratum mysterium, ascendamus mentis gressibus lanienam Caluariæ, ac Regem doloris nostri, qua decet pietate, & reuerentia veneremur: *Conueniant Reges terræ ad montem sanctum Domini*: currant, vt aiebat Augustinus, (hunc forte Regalium Psal. 47.

cœtum Sacerdotum compellans) currant Reges ad Regem, agnoſcant Reges Regem. Inſpiciamus pendentis in Cruce vulnera, occumbentis in trunco ſanguinem, ſceptra clauis mutata in ligno regnantis: &, quod veræ poſtulat Religionis officium, turbidis omnino motibus iam compreſſis, in ſeruitutem redactis cupiditatibus, animum illi noſtrum, VRBANAM veluti Regiam, quæ vna deeſt extra portam crucifixo Regi, adornemus. Dicebam.



F I N I S.



POMPEI ARIGONII CONSISTORIALIS ET REGIS CATHOLICI ADVOCATI

Oratio de vita et miraculis B. Fratris Didaci, qua Regis nomine B. Didacus canonizari postulatur, habita Romæ in Consistorio publico, Die xxv. Iunij Anno M. D. LXXXVIII.





VM multis alijs in rebus Philippus Hispaniarum Rex, summam in se Dei beneficentiam agnoscit, tum inter præcipuos Regni thesauros, diuino sibi beneficio tributos æstimat, in sua ditione viros egregios extitisse, qui cæle-stem in terris viuendi rationem ingressi, sibi quidem ad cælum aditum aperuerunt, ceteros autem sua apud Deũ gratia, suoque patrocinio tuentur. Quamuis enim qui humanas hasce curas exuunt, Deo prorsus addicti, non vnam gentem, aut alteram solum diligant, sed diuini instar numinis, cuius spiritu ducuntur, vniuersum genus humanum suo amore, ac beneuolentia complectantur: tamen proximi cuiusque maior est charitas, ac beatarum mentium benefaciendi voluntas, ad omnes, beneficia ad vtentes pertinent: quos ex propinquis frequentiores esse, quàm ex alienis necesse est. Merito igitur pius, vereque Catholicus Hispaniarum Rex Beato Didaco in sua ditione orto præ ceteris gloriatur; cuius & in popularibus opem expertus est, & in filio primogenito iam à Medicis omnibus destituto, quemadmodum suo loco dicemus.

De huius ego vitæ sanctitate, varijsq. miraculis, tuo

Pater sancte, Regisque iussu hodie verba facturus, illud in primis oro, ne ex mea tenuitate sanctißimi Viri virtutes æstimentur: neu mihi conatus, cui me imparem fateor, audaciæ tribuatur: sed mea potius in re tam ardua voluntas atque alacritas commendetur; imbecillitas, parendique necessitas excusetur. Nam diuina mortali cuiquam assequi nefas. nec tamen quia de diuinis digne dicere nequeas, idcirco nihil omnino dicendum: aut quia nulla illis oratio sufficiat, omnis omnino oratio deneganda. Igitur vitam eius & miranda, non omnia sed pauca de multis, quambreuissime, simul & verissime dicam. nam singula recensentem dies deficiat.

Et ex his quæ dicentur, satis aperte liquebit Beatum hunc virum in Sanctorum numerum referendum. Natus est beatus Didacus in Prouincia Bætica, in oppido sancti Nicolai ditionis Hispalensis, honestis parentibus & Christianis, quales fuiße par est, a quibus tantus futurus vir ad pietatem informaretur. Qui vero dies eius natalis fuerit, aut quo mense, quoue anno in lucem editus, haud satis compertum habeo ex ijs, quæ vidimus litterarum monumentis. Sed quantum ex eisdem coniectura aßequi licet, natum esse credibile est, paulo ante Quadringentesimum supra millesimum annum à Christo nato. Nam cum ad multam senectutem vixerit, & anno Iubilei Millesimo quadringentesimo quinquagesimo in Vrbem venerit, ac duodecim post annis in cælum migrauerit, necesse est natiuitatem eius incidisse in ea tempora, quæ supra memoraui. Cum primæua autem sapere cœpit,

cœpit, humana omnia diuino cultui posthabuit. Itaque ne rerum terrestrium cura a cælestibus contemplandis auocaretur, continuo se ab ineunte adolescentia in solitudinem, hoc est, in libertatem vindicauit: atque Eremum patriæ propinquam coluit, sacerdote quodam ieiuniorum, vigiliarum, continentiæ, atque innocentiæ teste ac socio. Ibi Dei diuinorumque meditatione animum, corpus eleemosynis sustentabat: dumque Deo corde aut ore gratias ageret, interim manus operi intentæ haud quaquam otio languescebant. sed varia è iunipero vascula, salina, cochlearia conficiebat, eaque largiebatur ijs, qui victui necessaria suppeditabant. si quid autem præterea dare vellent, id omnino recusabat. Tantus in eius moribus elucebat virtutum omnium consensus, vt omnium in se oculos raperet, omnes excitaret in admirationem sui. Radix autem virtutum omnium, & quasi fundamentum humilitas & sui contemptio, quæque eam sequitur aliorum hominum charitas, quo nullum aptius vinculum humanæ societatis: nam qui seipsum despicit, alios suspicit, is nunquam sibi plus sumet quàm ceteris, itaque aut iustitiam adeptus iam est, aut iustitiæ valde propinquus: humilitas in eo tanta erat, vt omnes homines sibi præferret, inseruire omnibus cuperet, senes, iuuenes consilio atque auxilio iuuaret. charitatem autem haud facilè cogitatione assequi, nedum eloqui quisquam possit. Harum virtutum fama cum vicinas vrbes implesset, repente ab Eremo discessit, & se ad conuentum de Arrizafa ordinis sancti Francisci

a Corduba non longe distantem contulit, seque in illorum ordinem admitti postulat, quos vulgo Obseruantes vocant, inde ad Monasterium Compluten. eiusdem ordinis, quod est ad ædem sanctæ Mariæ Iesu præfectorum iussis obtemperans se transfert. Hic latior humilitatis campus, vberiorque materia virtutum omnium. nemo constantius atque hilarius Religionis illius iugum tulit: nemo exactius omnia illius Regulæ præscripta seruauit: nemo acrius carnis stimulos retudit: nemo eam ieiunijs ac vigilijs, flagellisque fortius macerauit. vtque ingenitos impetus reprimeret, gelidam interdum hyemali tempore aquam ingredi non dubitauit, tam rigida vtebatur castigatione corporis, a capite ad talos vsque sese flagellis lacerans, vt nemo humana illam virtute ferri posse putaret. Fortunatas aliquando Insulas petijt, quas Canarias appellant: ibi innumerabiles Canarienses ad Christianam Religionem, verumque Dei cultum traduxit, in his Ioannem Alphonsum quendam, qui eo infidelis atq. Idolorum cultor è magna Canaria venerat, is deinde duos filios B. Didaco instruendos, & vera pietate imbuendos tradidit: in magnã inde Canariam profectus, vt incolas ad verã Religionem traheret; magnas ibi Christianæ Religionis propagandæ causa persecutiones pertulit; magno enim studio martyrij subeundi tenebatur, nisi illũ comites a proposito auertissent, qui vereri se dicerent, ne captiui a Canariensibus detinerentur. horum charitas B. Didacũ ab eo consilio retraxit. Quodque admirationem auget, hæc omnia peragebat nulla excultus doctrina, nullis lite-

tera-

terarum studijs eruditus: erat enim illitteratus, quam ob causam nullis vnquam sacris ordinibus initiatus est, sed (vt vocant) Laicus per omnem ætatem mansit. Quin etiam Conchensi cuidam amico bonarum artium peritissimo, alijsque non paucis quæstiones difficillimas de rebus non solum ad salutem animæ, sed etiam ad litterarum studia spectantibus enodabat: quarum illi solutionem neque Salamanticæ neque Lutetiæ, neque alijs in Academijs, in quibus antea studijs operam dederant, inuenire potuerant. Cum autem omnes omnium consensu virtutibus omnibus anteiret, præcipue in eo pauperum charitas enitebat. his omnia largiebatur. quicquid vndique ab amicis, a contubernalibus, a notis, ab ignotis accipere poterat, id omne in vsus pauperum erogabat. cumque quid illis daret, non habebat, vna cum illis eorum miseriam deplorabat, multisque lacrymis animi sui dolorem testabatur. Mendicorum vlcera suis manibus abstergebat. Romam venit, vt ante dictum est anno Iubilei: diuertitque in Monasterium Sancti Francisci quod est ad ædem Sanctæ Mariæ, quæ dicitur Aracœli. ingens ibi ægrotorum & languentium numerus: magna insuper annonæ caritas & penuria rerum omnium Vrbem inuaserat. Didacus ægrotorum cura suscepta tanta illis charitate, ac diligentia ministrabat, tantaque affluentia rerum omnium, vt omnes, in primisque Monasterij præfectus mirarentur, vnde illi in tantis aliorum angustijs tanta rerum copia suppeteret: omnesque opem illam Beati Didaci apud Deum gratiæ acceptam ferebant: omnes

Dida-

Didacum vt virum sanctum, Deoque gratissimum mirabantur. Complutum tandem rediit, nam singulas eius actiones persequi nimis longum, & prope infinitum esset, ibique deinde ad duodecim, aut tredecim annos vixit. tanta cum humilitate, atque in Superiores obedientia, tanta præceptorum obseruantia, tanta vitæ austeritate tanto exemplo, vt ab omnibus existimatus fuerit obseruatione mandatorum Dei ceteris omnibus, qui vlli vnquam Religioni se addixerint, præstitisse. In morbum incidit, qui & illi mortalis huius vitæ finem attulit, atque ad æternam illam ac perennem aditum patefecit. Eius morbi molestias tanta constantia tulit, vt nullum vnquam doloris indicium dederit. Suauiter astantes alloqui, solari, veniam offensionum petere non destitit, donec vtroque brachio sublato, quorum alterum magna vi morbi, quod apostema dicitur, immobile fuerat, Crucem amplexus atque exosculatus in illa Hymni verba: Dulce lignum, dulces Clauos, & quæ sequuntur, animam Deo reddidit anno post Christum natum Millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio. Mortuo Didaco neque artus obriguerunt, & multis mensibus flexibiles manserunt, vt viuis solent. Odoris etiam suauissimi fragantia cubiculum oppleuit. Hodieque is odor a nonnullis plerunque sentitur, quanquam sine vllis illum odoribus aut aromatibus sepultum fuisse constat: atque ad eius mortui famam ingens populorum concursus est factus. Scio ego Pater Beatissime de rebus mirabilibus dicenti plerunq; faciles esse audientium aures: & alioquin a tædio nar-

rationis

rationis defendit officij necessitas. veruntamen haud quaquam concessa mihi facultate, nec audientium benignitate intemperantius abutar. Sed ex ingenti miraculorum copia, quibus diuinus ille vir in vita claruit, vnum aut alterum breuiter attingam: itemque nonnulla de ceteris, quæ post mortem euenere. Quid autem mirabilius referam, quam quod è Monasterio quodã, quod Hispani Cerraje nominant. Hispalim profectus, mulieri cuidam filiolum in furno latitantem, ibique sopore correptum, accenso dein furno atque vndique conflagrante, illæsum a flamma seruauit. Erat miseræ cuidam muliercula septennis filius, aut paulo maior, qui sæpius eius iram metuens aufugere solebat. Is cum die quodam aufugisset, non ante diem Dominicum domum rediјt. tum veritus ne a matre vapularet, in furno sese abdidit. nam Mater pane coquendo seque & puerulum, & reliquam familiam sustentabat. Ibi puerum iacere mater ignorans, furnum vesperi lignis opplet, vt summo mane postridie incenderet, ac feruefaceret. Tum sedula mulier, antequam lucesceret, ignem lignis admouet, atque arida sarmenta tanto impetu flammam corripiunt, vt simul & puer excitus clamare inciperet, & repente furnus flammis conflagraret. Quid in tam acerbo filij casu mater faceret? quod illi auxilium ferretur? omni humana ope destituta scissa coma, gemitu atque vlulatibus domum ac viciniam omnem complet. res ad Beati Didaci aures peruenit. ille obuiam factus mulierem solatur, ac bono animo esse iubet. hortatur vt ad ædem maiorem Bea-

tæ

tæ Virginis accedat, eique se toto ex animo commendet. Non secus atque oraculo monita, relicto furno, ac filio ad maiorem Dei genitricis ædem aduolat. Quid verbis opus est? continuo Beatus Didacus, quique illi comes aderat, qui & huius rei testimonium perhibuit, in furno illæsum puerum, combustis lignis inuenerunt, adductumque ad ædem vbi mater orabat, Canonici albis vestibus in honorem Beatæ Virginis induerunt. Hoc ille miraculo cum Hispalenses omnes obstupefecisset, incredibile dictu est, quam ipse sibi solus humilior atque abiectior videretur.

Ex eodem Monasterio cum aliquando eodem comite ad oppidum Sanlucar de Barameda, absque vllo commeatu profectus esset, ipseque & comes longo itinere defessi in vicum quendam, quem Palatios vulgo dictitant, diuertissent, vt inde sibi ad victum necessaria corrogarent, neque ibi quidquam opis inuenissent, quo famem sedarent, longumque adhuc iter superesset, comitem hortatus vt in Deo spem haberet, alacriter via reliquum obibat, varias Deo laudes concinens. Cumque in planiciem quandam amplam peruenissent, animaduertunt in via prope herbam, quæ Marisma dicitur, mantile quondam linteum eximio candore, in eoque panem candidum ac duos pisces recens coctos, & malum medicum & insuper vini vasculum: Id illi quamquam diuinitus oblatum rati, non confestim arripuerunt: sed vndequaque circunspectantes, an quempiam viderent, cuius illa cibaria esse possent (erat autem planicies maxima, vt

non

non minus decem millibus paßuum conspici vndequaq; posset) vbi neminem viderunt, paratis sibi dapibus, refecti, Deo gratias egerunt, quodque superfuit, ibidem reliquerunt. Ac Beatus Didacus comiti gratulatus, quod sibi Deus necessaria suppeditasset, non secus atque filijs Israel in deserto; tantus in eo fidei candor, & quædam, vt ita dixerim, simplicitas inerat, vt nihil supra. Itaque varias ægrotãtium ac languentium species ad sanctitatis eius famam vndique confluentium digito lampadis oleo inuncto, ac signo Crucis facto sanabat. Hæc aliaque innumerabilia ille miracula viuens edidit. Sed & aliquid referamus ex ijs, quæ summa omniũ admiratione mortem eius consecuta sunt, ac potius quotidie consequuntur.

Catherina Martinez Antonij filia ex oppido de Duron oriunda, quæ cum muta surdaque eßet, ac semper paralysi laborasset, ad corpus beati Didaci delata, ac signo Crucis eius manu signata, repente conualuit: nec tantum suis pedibus inceßit, sed etiam Vicario, præeunte hæc verba protulit, Laus Christo Iesu, semperque deinceps absque vllo impedimento locuta est.

Iuuenis alius xx. annorum, cum Spiritu quodam immundo detineretur, ita vt sæpius quotidie in terram desidens, ad puteos rapi se diceret, adductus ad Sacellum, in quo beati Didaci corpus aßeruatur, ibique dies aliquot moratus, sanitatem pristinam recuperauit.

Maria Garcia, cuius nurui Catherinæ nomine certa

ex partu pernicies aderat, propterea quod infans in vtero transuersus vnum tantum pedem extulerat, in tanto puerperæ discrimine beati Didaci meminit, allatumque vestis fragmentum, qua Beatus ille vir amictus fuerat, & paullulum terræ, qua corpus eius tegebatur, nurui superimposuit. ita, quæ diem totum in tanto periculo manserat, continuo partum edidit mortuum quidem, sed ipsa mortis periculo liberata. Tum socrus ex tanto miraculo etiam partui vitam restitui præ fidei feruore a Deo petere ausa, vouens, si id impetrasset, in sacello B. Didaci se nouem diebus euigilaturam, voti compos facta, infantem, quæ per quattuor horas mortua fuerat cum reuixisset, in sacro Baptismatis lauacro Mariam de suo nomine dici voluit.

Aluarus de Gaa Lusitanus Ancillæ suæ misericordia motus, quæ filiam paucis ante horis mortuam miserabilem in modum lugebat, eam hortatur, vt Puellam ad corpus beati Didaci deferret, atque a Deo peteret, vt ob eius merita vitam filiæ restitueret. Ancilla cum domini monitis paruisset, quam Puellam exanimem domo extulerat, eam viuentem ac validam domum reduxit.

Quamuis autem mortuos in vitam reuocare inter præcipua Dei miracula censeatur; haudscio, an maius etiam censendum sit quod virgini cuidam Hispanæ, cui Maria de Pinnuela nomen erat, non vnam tantum vt aliis, sed multiplicem vitam reddidit, tot illa morbis

gra-

grauissimis laborabat, tam intolerandis febribus vexabatur, tam acribus atque assiduis capitis doloribus torquebatur, vt (si ita dici fas est) multas quotidie mortes experiretur. adhæc humero, crure, tibia debilitata multarum corporis partium vsum amiserat. Tot modis afflictam Virginem cupido incessit, quando nulla iam humana ope sanari se posse sperabat, ad beati Didaci corpus adeundi, ab eoque auxilium implorandi. Ita vti petierat eo delata, quid memorē quæ Puella miranda viderit atque audierit? Ea nec referre necesse habeo, & certis extant grauissimorum hominum testata monumentis. In summa quæ per vndecim menses varijs cruciatibus exagitata fuerat, vbi ad Beatum hunc virum accessit, & morbum toto corpore depelli, & suum membris omnibus vigorem restitui sensit, ac suis pedibus deinceps incessit, Deum laudans, ingentesque beato Didaco gratias agens, cuius precibus ac meritis a Deo salutem impetrasset. atque hoc nostra memoria factum est anno humanæ salutis Millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto.

Huic miraculo recentius aliud subijciam, quod plerique meministis. factum est enim anno Millesimo quingentesimo sexagesimo secundo,

Serenissimus Hispaniarum Princeps Carolus olim adolescens, Compluti, cum in Regia luderet è scalis quibusdam supinus cecidit, ac tam grauiter offendit, vt ingens in capite vulnus acciperet. cum & lethale vulnus

omnibus videretur, & de salute tanti Principis ageretur, existimandum est humanissimum Regem, ac liberorum amantissimum nihil intentatum reliquisse, quod filio primogenito in tanto discrimine adiumento esse posset. Medicos vndique accersit. remedia quaecunque adhiberi possunt humanitus, adhibentur. omnia tamen vulneri cedunt. itaque desperata filij salute Rex secessit: sepulturæ locus destinatur: panni lugubres, funeralia, exequiæ tanto Principe dignæ magna cum cura parantur. Postremo tamen, astantium quorundam animus ad Beatum Didacum se conuertit, postulatumque est vt eius corpus in Cubiculum Principis deferretur, & prope eum locaretur. Postquam id factum est, paucarum horarum spatio Princeps meliuscule se habere, ac potius reuiuiscere cœpit: vt omnibus liquido constaret, vitam ei non humanitus, sed B. Didaci merito diuinitus restitutam.

Igitur Beatissime Pater, qui ab ineunte ætate sese ab humanis curis omnibus abdicauit, qui vitam suam omnem Deo dicauit, qui cælestem in terris viuendi rationem coluit, qui charitate in homines, in Deum pietate ceteris omnibus præstitit, qui diuinas leges omnes adimpleuit, qui susceptæ Religionis iugum non exacte solum, verum etiam iuuende tulit, qui præscripta eius omnia ac mandata seruauit, cuius vitæ sanctitatem & ex actionibus eius nouimus, & ex innumeris miraculis comprobari quotidie videmus, ex quibus ego tametsi

nonnulla recensui, vix tamen eorum millesimam partem attigi, quem Deus acceptissimum sibi æterna beatitudine perfrui non obscuris indicijs, sed signis certissimis clarissimisque monstrauit, quem a Sanctisimis Patribus maioribus tuis Pio IIII. Pio V. Gregorio XIII. Pontificibus Maximis, Hispaniarum Rex ac potius Hispania tota petijt in Sanctorum numerum referri: quem referendum Sacri Palatij causarum Auditores causa ab eisdem Pontificibus delegata viri sapientissimi, ac diuini humanique iuris peritissimi censuerunt. quem etiam ex hoc supremo Christiani orbis Concilio delecti Patres eadem causa diu multumque cognita ijsdē honoribus dignum iudicarūt. Eundem idem Philippus Hispaniarum Rex non minus re quam cognomento Catholicus Beati Didaci, tuæque gloriæ studiosissimus, enixe rogat, vt Sanctorum numero tandem adscribi declares, vt quorum in cælo consuetudine fruitur, eorundem numero adscriptum in terris Ecclesia debitis honoribus ac laudibus prosequatur. Hoc si ab vllo ei Pontifice debebatur, abs te Pater Sancte præcipue debetur, qui & eandem Regulam coluisti, & eius vitæ imitatione ad istud humanarum rerum fastigium ascendisti. Hoc abs te suo quodammodo iure postulant pij viri omnes, qui eiusdem Regulæ contubernio vtuntur, ne huiusmodi quasi stellarum lumini, quæ e sancta ista domo emicant, ignoratione hominum, ac tenebris officiatur. Hoc abs te Toletana Ecclesia, hoc Complutensis petit Vniuersitas,

quæ tali Alumno merito gloriantur, hoc denique Hispani omnes optimum ac sapiētissimum Regem secuti summis precibus obtestantur: tibique atque huius Sanctæ sedi perpetuam beneficij memoriam & gratitudinem pollicentur.

ANTONII BVCCAPADVLI Secretarij Apostolici, Sanctissimi D. N. Sixti V. nomine, Responsio.





IVTVRNAM Philippi Regis Catholici postulationem de Beato Didaco, viro & vitæ sanctitate, & miraculorum copia, & magnitudine clarissimo in Sanctorum catalogum ascribendo dignissimam iudicat Sanctissimus Dominus noster perpetua Regis ipsius pietate & gloria. Qui enim curam, cogitationemq; omnem habet locatam & fixam in Catholica religione tuenda & propaganda, qui & semper antea, & hoc maxime tempore summis opibus contendit, vt deleta hæreticorum perfidia fides Catholica in veterem dignitatem, atque amplitudinem vindicetur; cuius omnia tum belli, tum pacis studia ad Dei gloriam referuntur, inque ea consummuntur; hunc censet Sanctissimus Dominus noster conuenire, de augenda etiam quodammodo cælestium gloria cogitare & postulare, (si ita videatur Romano Pontifici, cuius ea potestas, atque actio propria est) vt ei Viro, cui nihil fuisset in hac vita Deo charius, quique ipse Deo charissimus fuisset; is honos tribuatur, qui possit maximus adhiberi, vt Pontificis scilicet ipsius decreto declaretur, Sanctus esse ex eorum numero, quos Ecclesia quotidianis honoribus veneratur. Et beati quidem illius vita, ac miracula aliquot de multis nunc sunt diserta, & graui oratione exposita. Agit autem Sanctissimus Dominus noster Deo gratias immortales, quod tanta cum sui nominis gloria, cum Ecclesiæ lætitia, cum piorum fructu cumulet seruos suos summis virtutibus, velitque illos summa apud omnes

nes

Psal. 150. & 67. B.Bernar. in vigil.SS.Petri,& Pauli. nes in veneratione, atque admiratione esse. Laudatur Deus in sanctis suis, ac mirabilis prædicatur: proponitur auxilium ad implorandum; exemplum ad imitandum; segnities nostra ad accusandum, dum agnoscimus tanto nos illis inferiores esse, tamque longe ab illorum perfectione abesse. Sed facit rei magnitudo vt censeat Sanctissimus Dominus noster de Regis postulatione esse etiam atque etiam cogitandum, cumque suis fratribus deliberandum. Hortatur igitur eos, monetque, vt de actis Beati Didaci, quæ confecta sunt, quamdiligentissime considerent: quodque ipse iam pridem facit,
Psal. 16. Deum orent, è cuius vultu debent hominis iudicia prodire, vt ostendat quid facto maxime opus sit, actionemque hanc omnium grauissimam totam dirigat ad suam gloriam, sanctæque Ecclesiæ suæ fructum, atque amplitudinem.




ORATIO ANGELI BERGOMEN. CARMELITAE DOCTORIS, CONVENTVS S. MARTINI REGENTIS,

DE DIVINAE SAPIENTIAE, ET BEATI Hieronymi, Theologorum Bonon. Protectoris Pijssimi, laudibus.

AD SAPIENTISSIMOS ET RELIGIOSISS. Sacri Collegij Theologos, in Cathedrali Ecclesia habita.

In festo D. Hieronymi, Anno Virginei Partus. MDLXXIIII.



Bononiae, Apud Ioannem Rossium MDLXXIIII.
Superiorum concessu.

F. Alberti Draghæ de Brixia Carmelitæ
Exasticon.

Angelus en nobis de summo venit Olympo,
Angelico multis gaudia more ferens
Angelicò namq;, & dulci dum personat ore,
Angelicas laudes Hieronymi & sophiæ:
Angelicum montis Carmeli reddit honorem,
Angelica flamma replet vtrumq; polum.

F. Io. Petri Chizolij Riparolensis Carmelitæ.
Epigramma.

Angelus ecce viam mortis qui deserit atræ,
Dum leuat ad cælos abdita sancta Dei:
Nascitur inde sibi sacri cum nominis altas
Extollit laudes non moriturus honos.
Carmelus volitat: volitat); ALBANIVS ille
Cardinei cætus magnus in orbe nitor.
Hinc decus exurgit fidei: hinc laus, hinc & honores
(Quidmirum?) apparent: Angelus iste fuit.

F. Baptistæ Ferrarij Riparolen. Carmelitæ
Exasticon.

Si meritò laudes referens hic Angelus altas
Hieronymi Sancti clarus in orbe nitet:
Nec minus insignis Guarguantus redditur ipse,
Hieronymo laudes, dum dicat atq; sacrat.
Alter Hieronymum latè celebrauit, & alter
Hieronymum celebrat, Hieronymoq; dicat.

F. M. Ant. Smiraldi Parmen. Carmelitæ.
Tetrasticon.

Angelus hic terras diuino munere replet,
Angelicis verbis Hieronymū celebrans.
Angelicus sermo totum fundetur in orbem,
Angelici cætus gloria magna micat.

ILL.^MO. AC REV.^MO. D. D.
IOANNI HIERONYMO ALBANO,
SANC. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

VIRO VITAE INTEGERRIMO, Scientiarum Doctiss. virtutum omnium clariss. humaniss. D. suo, Patronoq; Optimo.

F. Io. Bap. Guarguantus de Soncino Carmelita Lector. S. P. D.



VM ardenti desiderio tenerer, Ampliss. Cardinalis, morem gerere permultis hanc orationem efflagitantibus, quam in D. Hieronymi natalitijs, de eiusdem sancti, ac sacræ sapientiæ laudibus, Bononiæ coram celeberrimo præstantissimorum huius inclytę Ciuitatis Theologorum Collegio, in Cathedrali Ecclesia piè, disertè, & eleganter habuit, Reu. admodùm, ac præclarissimus Doctor, P. Angelus Bergomen. Carmelita Theologus, Gymnasij nostri Moderator & Rector vigilantissimus; ipsum profectò Authorem adij, summis pulsans præcibus, ne suum hunc mihi partum impertiri grauaretur, voluntatiq; meę permittere vellet: qui quidem & si (quæ sua est modestia) renueret, amico tamen rogitanti, id tandem denegare non potuit. Cùm igitur Doctissimi viri fœturam prælo dignam acceperim, totus continuò gaudens, Typographo cudendam detuli, eamq; tuo nomini Ampliss. dicandam non ab

re duxi; non modò, vt quæ sunt sapientiæ, Hieronymiq; laudes Hieronymo Sapientissimo sacrarem; sed etiam vt Oratori satisfacerem, certò sciens me hac in re illi optimè satisfacturū, si orationem eius, tuo commendatam Illustriss. ac Reuerendiss. nomini in publicum emitterem, quem suorum laborum nihil e suis manibus nisi sub tui tutela egredi velle cognoui; te enim numinis cuiusdam loco habet, ac veneratur. Nec me obsecro temeritatis aut arrogantiæ vitio arguas, quòd nominis tui celsitudinem his meis literis interpellare ausus fuerim; in causa fuerunt, & tua singularis erga studiosos beneuolentia, & innumeræ tuæ virtutes, quæ me magnopere incenderunt; Nam eas apud omnes, Angelus iste noster annuntiat, atq; ita annuntiat, vt te quàm clarissimum omnes venerentur, & ad amorem atq; obseruantiam tuam mirum inmodùm trahantur, quos inter, ego nemini concedo, aliquando sperans te in posterum animum erga te meum cogniturum. Interim Deo gratias habeo immortales, & mihi vehementer gaudeo, quòd ex doctissimi, & eloquentissimi viri honestis laboribus mihi data fuerit occasio, atq; argumentum ad te scribendi virum longè amplissimū, atq; maxima scientia, maxima probitate, maxima gratia, ornatissimum. Tantum me respicias oro, dum te ad vicem Dei Opti. Max. colam perpetua quadam obseruantia, & venerabor, nihilquè vereor, quin me suscipias & foueas. Vale Christianæ Religionis tutissimus propugnator, optatusq; præstò beatiss. viue.

Bononiæ, Pridie No. Octob. M D L X X I I I I.

Errata grauiora sic corrigito.

pagina. 5. a lin. 23. excellendas, lege, excolendas. pagi. 5. b lin. 1. vana, lege, varia. pagin. 6. a lin. 9. ad, ab. pagin. 8. a lin. 10. punitus. munitus. pag. 9. a lin. 11. exorret lege, exhorret. p. 9. a l. 12. præcessio, processio. p. 9. a l. 14. illam, vllam. pag. 9. a l. 13. edocarunt, edocuere, &. p. 9. b l. 29. Arabos, Arabes. p. 9. b. l. 32. in, vt. p. 10. a l. 2. vrnatij, versari. p. 10. a l. 5. cæteris, exteris. p. 10. a l. 19. principium, principē. p. 10. b l. 19. sola, sita. p. 10. b l. 21. sacra, facit. p. 11. a l. 1. saluberrimum, saluberrimo. p. 11. a l. 32. quendam, quondam. p. 11. b l. 5. ethiopiam, Aethiopiam. p. 11. b l. 13. hinc florebā, tunc florebant. p. 12. a l. 17. resentiret, præsentiret. p. 12. b l. 21. eccelso, excelso.



VOTIES in his rebus, quas varias, & imbecilles, fluxibilesq; concernimus, pluries omni eloquentia elatos viros defecisse memini: & animo mecum sepe numero in his quas causis humiles & humanas cognoscimus, in frequenti tot sapientissimorum patrum corona qualẽ hic astare intueor Hortensii, Tullij, Periclis, & Demosthenis robur quandoq; exudasse conspicio: non possum equidem non admirari vehementer penè ineuitabile periculum, in quod hodierna die me incidisse uiderem; nisi humanitatis vestræ clementia ingenij mei, collapsas uires, & succumbentes humeros subleuaret. Quis enim tantam maiestatem non formidaret? Quis tot sapientiæ luminibus reffertas sedes has hornatissimas non perhoresceret? Cui tam spectabili, & clarissimo oratori altissimæ rei dignitas, cuius munus infirmis humeris meis hodie desumpsi uires omnino, & penitus non subtraheret? Ecce vnico intuitu, in ictu oculi scientias omnes & artes, hic astantes concerno. Ecce totius ciuitatis Bonon. studiorum matris insignis sapientia resedit. Ecce hic toto terrarum orbe celeberrimi huius almi Collegij maiestas tota refulget. Tractanda ardua res est altissima adeo & diuina, vt pro sua dignitate & eccellentia tractata, ad lungum vsq; volumen excresceret.

Quis verò, qualisque sum ego, qui inter tot ecclesiasticæ, secularisq; di gnitatis multiplicibus coronis coornatos viros, ad quos hoc munus iure merito spectare videbatur de tam difficillimis cælestibus, de Dei (intelligatis) Opt. Max. reuelatis archanis silentibus cunctis facere verba, nulla orationis auctoritate, nulla peritia, nulla dicendi præditus exercitatione contendo? Inter doctissimos, doctissimè

ctissimè, inter sapientissimos sapientissimè, inter eloquentissimos eloquentissimè, ea differere oporteret; sed à rei nobilitate, à dicendorum graui pondere uires opprimuntur: laudandi superabundat materia, sed præ rei excellentia, deficiunt verba: res præconiorum insignium, immensum aceruum, subministrat obiecta; sed vniuersam ingenij humani præstantiam ab omnibus transcendere iudicatur. Omnia certè hæc timorem non modicum, nec dissimulandum animo meo ingerunt, sed postea cum me ad humanitatem & benignitatem vestram reffero, nihil est quod in hac re, vel de sapientia vestra, aut de ingenio meo diffidam: Si enim pluuia gutta, si dies seculi, si maris arena, si sydera cœli, si arborum frondes, si virentis terræ flores dinumerari possunt: possunt & sapientiarum omnium sapientiæ, & scientiarum scientiæ præconia recenseri. At horum vtrunq; nequit. Potius nanq; vniuersum totum amplecteretur, Oceani vasti termini clauderentur, leuia deorsum, grauia sursum mouerentur, quam possent doctrinæ sacræ, & Dei scientiæ omnia præcedentis, rationes inuestigari. Vnus est altissimus creator omnium omnipotens, rex potens, & metuendus nimis, sedens super trhonum illius, & dominans Deus. Quamobrem si partius alicui quam sacræ theologiæ expostulat dignitas dicere videbor (ea enim est, ne vos diutius morer, quam extollendam hodierna die desumpsi) non sum existimandus rebus defecisse, sed verbis, cum grandes materias, ingenia parua non sufferant.

Ineffabilis quippè est dignitas eius, & eius nobilitas inenarrabilis, cuius præstantia, nec cognita, cuius nec visus splendor, nec explicatæ laudes à priscis illis oratoribus unquam fuere, cuius excellentia Oraculorum omnium auribus inaudita, cuius difficillima, & alta processio vatibus abscondita, cuius admirabilis uirtus,

cuius

cuius inaccessibilis inuentio, cuius mysteria imperscrutabilia ab aliquibus poetis nusquam fuerunt celebrata: Eius dignissimum habitum, nec acutissimi illi naturæ primi indagatores inuenire, nec sui archana profundissima phylosophi sapientissimi ingenij sui uiribus unquam attingere potuerunt, imò sempiterno tempore, totius humani generis cætum latuisset, nisi e cœlo decurso temporum spatio, aduenta seculorum plenitudine, ea ipsa delapsa, ille diuinus sermo, à regalibus sedibus, & illud æternum Omnipotentis Dei verbum ab arce inuisibilis patris demissum fuisset, qui totum terrarum orbem, à mari vsque ad mare, à flumine vsq; ad terminos eius, ea hac diuina sapientia aduentu suo collustrauit: nec ad eam exquirendam perpetuò uires nostræ sufficere valuissent, nisi illam ignobilibus, idiotis, & simplicibus viris, sanctissimis nempe Apostolis, & post ipsos fidei nostræ optimis cultoribus reuelare spiritui sancto placuisset: Inter quos veluti doctorum insignis corona præfulget Hieronymus ille sanctissimus, huius almi Collegij nostri Protector Pijssimus, qui omnibus optimis artibus, & disciplinis reffertus, ei splendorem & decorem non parum contulit, cuius vitam angelicam, mores honestissimos, exempla probatissima, laudes integerrimas vobis omnibus qui adestis, Doctores Celeberrimi, vna mecum hodierna die intueri liceat; in qua Catholica, & orthodoxa pia mater Ecclesia, à fine vsque ad finem terræ totius Christiani gregis, eius natalem colit. Et nos potissimum tanti patroni presidio muniti, eius virtutes debemus & gesta uenerari, vt quemadmodum hunc sibi tutorem præ cæteris peculiarem elegerunt maiores nostri, vt vitæ suæ normam, regulam, & probatissimum exemplar haberent, talesque cum eo esse studerent, quales & haberi vellent: Ita & nos, eiusdem vestigia insequentes, ab eorum rectissima voluntate

luntate dissidere minimè videamur: omni enim virtutum genere fuit decenter ornatus, omni sanctitate repletus, religionis cultor, pietatis norma, castitatis speculum, innocentiæ via, scelerum persecutor, bonorum morum exemplar, sanctorum Apostolorum immitator, fidei tandem, spei, & charitatis, disciplina, qui die ac nocte iureiurando vitæ suæ cunctis diebus in diuinis scripturis exercitatus, omnem sibi Domino infundente Spiritum Sanctum vindicauit: sibi Domino infundente quidem, non proprijs uiribus (vt ipsemet ad Paulinum scribens testatur) altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei gustauit: Nam in scripturis sacris, in sacra Theologia, sine præuio, & monstrante semitam ingredi non valemus, spiritualis enim est, & reuelatione indiget, vt intelligatur. Est sicut liber in Apocalipsi septem sigillis signatus, quem si dederis homini scienti litteras vt legat, respondebit tibi, non possum, signatus est enim. Quanti nouissimis temporibus hereticorum duces, & antesignani omnium hominum, quos alma parens tulerit natura pestilentissimi? Quot Lutheri, Carolstadii, Oecolumpadii, Melanctones, Vicleuista quorum malleus Thomas Valdensis, putant se nosce litteras, sacræ scripturæ sensus penetrasse, Theologiæ sanctæ, sanctæq; doctrinæ mysteria intellexisse? qui tamen tenuerunt signatum librum, & tenent vsq; modò, nec aperire potuerunt, quia ille ipsis non aperuit qui habet clauem Dauid, qui aperit, & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Nec eius aperitionis, & intelligentiæ difficultatem mirari debetis, ex sola enim hæc Omnipo. Dei voluntate dependent, unde nec angeli ipsi, nec illæ simplicis naturæ intellectuales mētes eius vastitatem immensam, abditaq; mysteria naturali simplicitate sua intelligere potuerunt: fortasse ne misteria gratiæ à quibus ortum habet diuina & supercelestis hæc sapientia

pientia nostra ex se tanquam ex naturali cognitione dissolue re ualuerunt? Nequaquam optimi Patres, nequaquam. Aperuit illis Deus, aperuit & nobis; reuelauit illis, reuelauit & nobis; cognoscunt illi, & nos cognoscimus; uident illi, & nos uidemus super naturali cognitione, & beatifica Visione clara cognoscunt ea in Verbo, quod est ipsamet sapientia Patris, quia sunt apud clarificatum Verbum, sed nos nundum ab hac mortali carne seiuncti, in enigmatibus, & similitudinibus, tanquam per speculum intuemur. Claro lumine uident, quia clarum habent, nos obumbrate, quia obumbratum lumen habemus. Quid ergo mirum Doctores celeberrimi si in celebrando non nostram dicam, quia non nostris uiribus, sed Dei sapientiam, quia ab eius sola bonitate reuelatam deficere uiderer? Habet enim in se maiestatem tantam, tantamq; sublimitatem præstantissima hac omnium liberalium artium sapientia, ut cùm eam nominamus, id quo dignius, nobilius, & excellentius excogitari non potest dicere uideamur; in cuius sublimi uertice intellectus humani uires quiescere cernuntur, ultra quam humanam pariter & Angelicam cognitionem progredi non licet. Multæ quidem diuersis temporibus artes & scientiæ, naturali lumine adinuentæ à superna illa diuina bonitate fuerunt nobis elargitæ mortalibus, ut ad eas excollendas tanquam in proprium intellectus obiectum rationalis creatura accenderetur, in easq; ueluti in sibi ostensum finem supremæ & nobilissimæ potẽtiæ suæ omnes actus dirigeret. Quæ quidem si oculis cernerentur (diuino credite Platoni) incredibili pulchritudine admirabiles sui amores excitare ualerent: Sed Deũ immortalẽ, quantũ ab illius munificiẽtissimi datoris intẽtione secessit? In proprijs nãq; uiribus derelicta mul toties ab illius præstantissimi numinis, diuiniq; principij tramite deuiauit, ut plurimis erroribus illaqueata, a perfecta sui nobilissimi finis cognitione distracta uideretur.

 Vnde

Vnde tot varia, ac diuersa philosophorum de natura abditibus, de prouidentia, de anima, de tempore, de motu, de rerum generatione, de beatitudine dogmata profluxerunt, quæ vsque in hodiernum diem ea hac diuina reuelata sapientia neglecta, vanis solum, dialecticisque argumentationibus innixa tanquam e veritatis fonte emanantia, à multarum sectarum ducibus fulcita comprehenduntur. Quamobrem circum terras assiduè vagantes mortalium sensus in omne celestium archanorum flagitium impulsos miseratus, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum omnium luminum pater, nimia sua liberalitate, post multorum seculorum decursa spatia humanas has artes sapientia sua reuelata perfecit, veræ scientiæ præsidio muniuit vallauit, & ita sacra hac nostra Theologia corroborauit, vt amplius nisi voluntaria quadam perfidia, vt heretici errare nequimus. Quæ ab orbe redempto quinquagesimo secundo die à Christo passo in atrio vbi erant Apostoli congregati, facto vehementi repentè de cælo sono spiritu sancto in igneis linguis super eorum capita descendente, eosque linguarum omnium idiomata docente, & sibi cunctarum artium scientiarum & disciplinarum generibus miraculosè infusis, admirantibus vniuersis desuper ab illa increata sapientia qua dum disertos homines reddit tempore non indiget, docenda & predicanda prius iactis fidei nostræ huius sacræ doctrinæ fundamentis duodecim, iuxta duodenarium Apostolorum numerum, in fines orbis terræ longè lateq; est diffusa. Quæ errorum antiquorum tenebras fugauit, humanarum scientiarum nexa persoluit, errata correxit, recta confirmauit, mentita patefecit, veritatem ostendit, & illuminauit mentes hominum; Illa ex nihilo, nihil, ista verbo Domini, cæli firmati sunt &c. Illa fieri non potest, vt motus habeat ortum aut occasum, neque

neque item temporis vllum principium, aut extremum esse potest. At grauissima auctoritas doctrinæ sanctæ, cuius testimonio fidem non habere nephas est, & impium omnino, clarissima voce canit, & expressè: In principio creauit Deus cœlum & terram: profitētur illæ mundum incorruptibilem, ista docet, Cælum, & terra transibunt: Illæ à priuatione ad habitum non est regressus: Ista, & mortui resurgent incorrupti. Cuius tandem auctoritas irrefragabilis omnium ad ortu mundi philosophantium sola fide defensa vniuersæ naturæ mentita peremit. Abhuius sanctitate abhorrentia peripateticæ disciplinæ principis perpauca quædam multi cùm reperissent non ad sacram doctrinam extollendam, sed deprimendam, non ad ædificandam sed destruendā non pietate quam haberent erga fidem, sed odio affecti naturales scientias, Aristotelisq; philosophiam, tanquam mortalium certissimam pestem ab hominum animis propellendam existimarunt, sicuti nequissimus Lutherus, & eius sequaces edocuere, sed nunquid ob hoc aut illæ negligendæ, aut ista sola appetenda? Nunquid aut illæ vana, aut ista superflua? Nunquid illæ malæ & ista perfecta? Nunquid illæ nostra perditio, & ista nostra salus. Nunquid illæ omnino à fine deuiant, & ista sola finem ostendit. Nunquid à nostra societate illæ exterminandæ & ista solum amplexanda? Absit. Audite huiusmodi uiros (Patres eruditissimi) à magno antistite Gregorio Nazianzeno acerrimè reprehensos, itidemque apellatos ἀκιυεῦς καὶ ἀπεδιυτους *quod rudes sonat & imperitos sed (O exacrabile hominum genus) insaniores & impudentiores quidam surresserunt, qui e contrario vestigio illius admirabilem omnium rerum scientiam amplexati diuinumq; ingenium admirantes, cætera cuncta ab eius institutionibus discrepantia, nec vera esse, nec probabilia facile iudicarunt. Hinc fuit quòd diuinæ humanam præponentes*

 sapien-

211

142

sapientiam, ad maximam inscitiam perducti, usque eò peccauerũt, ut Christianam religionem, superstitionem manifestam, doctrinam sacram fabularum inuentiones explicata frontę iudicarent, eiq; temerario ore contrairent. Quid? non ne quò soli sapientes, soli ueraces & doctrinæ peripateticæ germani iudicarentur interpretes, quamplurimi stultitia & arrogantia elati, Dii immortales, fuerunt reperti, qui (ut dicitur) primis labris uix philosophiam delibantes sese nudato gladio fidei nostræ, Christianæq; religionis teterrimos hostes sunt professi. Quid non fecissent maledicus Porphirius, pertinacissimus Celsus, & quamplurimi alii euangelicæ ueritatis oppugnatores acerrimi, quorum alter feruido animo, cùm scriptis, tum dictis, & uiua uoce aduersans, alter uerò quindecim aduersus religionem nostram editis uoluminibus non parum damni attulissent, nisi alteri eorum triginta appologeticis libris à Methodio, Eusebio, & Apollinario Christiani nominis pro uiribus omnibus suis tutoribus indefessis, alteri autẽ ab Adamãtio Origene quãplurimis ex philosophia, & sacræ doctrinæ penetralibus desumptis rationibus responsum fuisset? At his in fide stabiles, quasi intermedii & temperati successerunt Christianissimi uiri, qui nascentis ecclesiæ primorum patrum immitatione contenti, Aristotelis sanæ doctrinæ salutare iudicium adhibentes, quæ parũ illius cũ Theologia nostra cõueniebant, mirabiliter repudiarunt, & quæ ad ueritatis agnitionem, naturæq; abdita intelligenda pulcherima & utilia cernebant, non minus sapienter retinuerunt, quam prudentissimè approbarunt. Vnde postea sic philosophiæ studium cum Theologia coniunctum, non parum decoris, & utilitatis Christianæ religioni attulerunt, nam quicquid homo extra didicerit ex gentilium libris si noxium est in Theologia damnatur, si utile est in Theologia inuenitur. Et cùm ibi quisque inuenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multo abundantius

tius

tius ibi inueniet ea quæ nusquam omnino alibi, sed in sacræ tantummodo scripturæ mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur. Sicut enim argentea, aurea, & pretiosa uasa, ac uestes Aegyptiorum ex Aegypto translata Hebreis profuerunt, sic scientia ex libris gentilium collecta, utilis est, si diuinarum scripturarum scientiæ comparetur, quoniam Philosophi qui uocantur, si quid fortè uerum, & fidei nostræ accomodum dixerunt, maximè Platonici, non solùm non est formidandum, sed ab eis sicut ab Aegyptiis Hebrei, auri, argenti, & uestis, copia etiam tanquam iniustis possessoribus in usum nostrum est uindicandum. Et nos sicut reges ex longinquis regionibus aurum, thus, & myrram deffere̅tes, Regi sempiterno offerre debemus, uel sicut mercatores prudentissimi ex exteris prouinciis merces pretiosissimas deuehe̅tes ad usum Christianũ accomodare. Sic. n. fecerũt fidei sanctæ multi boni cultores. An nõ uidetis egregii Patres, quãto auro, argento, & ueste suffarcinatus ex latinis exierit de Aegypto Hieronymus sanctissimus, doctor suauissimus, qui ueluti alter fidelissimus Moses, non solùm Aegyptiorũ, sed omnium gentilium philosophorum in omni scientia eruditus duce Christo de societate gentilium exiens omni eorum doctrina oneratus liberales disciplinas usui ueritatis aptiores, ad usum iustum prædicandi Euangelii transtulit. Nonne aspicitis quantis ornamentis & uestibus indutus Dei famulus ingeniosissimus Augustinus de gentibus ad fidem transmigrarit? Quantis Ambrosius? Quantis Gregorius magnus? Quantis Lactantius? Victorinus, Optatus, Hillarius? Vt de uiuis taceam: Quantis innumerabiles græci? Basilius magnus, Gregorii duo alter Nicenus, alter Nazianzenus, Chrisostomus, Damascenus, Origenes, qui ueluti nascenti Christo, reges nascenti ecclesiæ aurum, thus, & myrram, de gentilium scriptis obtulerunt, & in Christi obsequium reddiderunt. Inter hos floruerunt Aquinates, Scoti,

ti, Egidij & Carmeliticæ familiæ Cirilli duo, alter Episcopus Alexandrinus, alter montis Carmeli præsbiter, Ioannes Bacconitanus, & frater eius cum eorum magistro Guidone de Carmelo, Tomas Vualdensis, Gerardus, & Michael ambo de Bononia, Baptistæ duo, quorum alter ferrariensis, alter mantuanus, Petrus Thomas huius almi Collegij Doctor primus, & ceterorum talium vtriusq; linguæ innumerabilis turba, qui tot prætiosissimas merces à philosophorum exteris prouincijs ad christianorum vsum adaptauerunt. Qui profectò si sæcularium artium diuinæq; philosophiæ studium contempsissent pulcherrima illa monimenta non reliquissent, quæ cum tanta sapientum omnium admiratione & stupore, ad sacræ scripturæ cognitionem, maximè quam scolasticam apellamus, splendidissimumq; reuelatæ sapientiæ lumen ita præferunt, vt facili quadam uia ad diuinorum arcanorum notitiam dirigimur, & tuto quodammodo itinere in cælestium mirabilium propè in via sacraria perducimur. Pereat ergo Lutherus, Huttenus, Bucerus, Sickingus, & tantæ vtilitatis nostræ fidelium Lethales hostes, & valeant omnes artes & scientiæ, cum omnes ad vnum primum principium, ad vnam eminentissimam causam, ad vnum immobilem motorem, ad vnum efficiens principale tendant, à quo Cælum, totaq; natura dependet, qui est Deus benedictus, quē ex professo reuelata sola sapientia nostra speculatur. An nescitis, (vt earum vtilitatem non taceam) Patres optimi, harum ipsarum firmissimis rationibus cōtra sacram Doctrinam erecta per multa Hæreticorum Dogmata euersa, & in nihilum redacta fuisse? Quomodo enim tempore Theodosii Imperatoris & Celestini primi, magnus ille pater Carmelita Cirillus, qui primus permiscuit phylosophiam Aristotelicam scripturis sanctis, in Concilio Ephesino præsidens Nestorium confutasset? Iuliani Apostatæ & cæterorum hæreticorum errores sicuti in gestis tertiæ Synodi Ephesinæ in-

uenitur

nenitur elisisset, nisi ei Aristotelis phylosophia familiaris fuisset? Quomodo Origenes ille adamantius qui primus iuxta prouerbium, in diuinis scripturis elucidandis, quasi glaciem scidit, & posteris magnum aditum patefecit, à Valentini, & eius familiaris Heracleonis, deridenda heresi & errore Ambrosium reuocasset? Quomodo perfido Celso respondisset & multis alijs Catholicæ veritatis teterrimis hostibus qui paßim in suis scriptis, veluti ipsius Martis infrangibilibus telis consternati cernuntur, nisi huiusmodi armis punitus extitisset? Quomodo à sacro & acutißimo archidoctore Augustino, veluti ab altero inuicto Hercole pellagianæ Hydræ capita combusta fuißent, nisi phylosophici stipitis consumans ignis adiuuasset? Quomodo nequissimo Arrio, cuius dogmata solùm Dialecticis, sophistiicisq; rationibus innitebantur à santissimis Patribus in Concilio Niceno, os obtusum fuisset, nisi eis Dialectica, et cæteræ scientiæ fauissent? Videor videre illum, in medio tantorum virorum antea huiusmodi deceptionibus aduersus Petri periclitantem nauem, veluti alterum iratum Eolum vela tumentem, & sicut secundum Neptunum in Mineruam, in sapientiam istam excitantem ferocissimos equos, quasi ibi congregatorum fidelium vnitam synodum depressurum & vna secum totius fluctuantis ecclesiæ fundamenta prostraturum, illum mei postea videre vellem vos omnes depresso capite incedentem, derisum, & tanquàm ipsius veritatis manifestissimum hostem, cum magno & pedum & manuum applausu e medio Cōcilij expulsum; Et vnde hoc illi? nisi quia prius corona antistitum illius sacro sanctæ Synodi phylosophiæ studijs, & gentilium doctrinis incumbere non licebat, vnde rationum suarum falsitatem, quæ omnes ferè illis diciplinis, innitebantur, non animaduertebant, sed postea illis à Sanctiss. Pontifice Syluestro concessæ magno postulāte Constantino illius argumenta deriserunt; habent enim inter

se

se scientiæ istæ affinitatem quandã & miram connexionem vt vna ad aliam quodamodo referatur, licet omnes ad vnã principaliorem, nobiliorem, et digniorẽ, quæ est sacra theologia ordinentur, earũ nanq; omnium doctrina sancta dignitatẽ excellit, sicuti ancillarũ suarum Reginã nobilitatẽ excellere uidemus, Regit ista, reguntur illæ, Illæ ab ista iudicatæ non iudicant, hæc ab illis non iudicata iudicat. Illæ finem Deum Op. Max. a longe demõstrant, ista finem attingit. Illæ ancillæ, ista Domina. Illæ mentiri possunt, ista nequaquam. Illæ acquisitæ & inuentæ, ista reuelata. Illæ philosophos mendaces, ista Deum ueracem præceptorem habet: quæ inter nobiles nobilissima, inter ueras uerissima, inter honorabiles honorabilissima, inter dignas dignissima, inter utiles utilima, inter bonas optima iudicatur: super scientias cunctas, super sapientias, super artes, super disciplinas, super cœlos, & super creata omnia, quæ sola inter omnes hoc priuilegio gaudet ut non intellecta, non intelligentis mentem & animum demulceat. In illis legere & nõ intelligere negligere est; in ista legere & non intelligere quandoque delectare est. Quid admiramini? An non uidetis Candacis Reginæ, Eunuchum Aethiopum super aurigam legẽtem Esaiam prophetam? legebat, nunquid intelligebat? nequaquam, audite ipsum: quomodo possum si non aliquis ostenderit mihi? legebat, non intelligebat, & tamen mira delectatione tenebatur, librum tenebat uerba Domini cogitabat, lingua uoluebat, labiis personabat, & ignorabat eum, quẽ nesciens in libro uenerabatur. Quid taceam Hieronymum principem nostrum, quem tantum tenuit sacræ scripturæ mira iocũditas & oblectatio, ut ab eius suauitate post iusiurandum factum, post ante iudicem accepta uerbera, post secularium librorum detestationem, post philosophorum gentilium improbationem, nunquam potuerit diuelli? O fœlix tanti uiri, & salutare iusiurãdum, per quod nobis tot uirtutum insignia pullularunt. Quid mirabilius?

In illis si credimus, ignoramus, quia earum credere est ignorare; in ista si credimus, intelligimus, & sapimus, quia eius credere, intelligere, & eius non credere ignorare est. Hanc Plato diuinus ignorauit, hanc doctus Aristoteles nesciuit, hanc acutissimus Pythagoras non nouit, hanc nemo mortalis inuenit, qui fecit omnia nouit illam, & adinuenit eam prudētia sua; Nobilitatem & dignitatem eius quis enarrabit? Alta est, & tamen cum ea stat profundi abyssi dimensio, Humilis est, & tamen eius humilitas altitudinem cœli transcendit: Magna & eccelsa, & tamen eius magnitudinem non exorret latitudo terræ: Posterior est, & cum eius posterioritate stat ante omnes alias eiusdem præcessio: Altissimæ speculationis est, & eius altitudo nec sexum, nec statum, nec ordinem, nec dignitatem ullam abhorret. Ad opus dirigit, nec tamen scientiæ finem amittit. Istius rationem si aspiciamus humillimæ, sunt & infimæ humanæ scientiæ, & tamē earum humilitatem vani phylosophi verbis adeo obscuris, & phrasi ista sublimi tradiderunt, vt vel a paucis uix intelligatur, & cum ea stat etiam veritatis dubitatio. At sacra theologia altissima adeo & sublimis est, vt eius mirabilis altitudo, humanarum mentium uires transcendat, & tamen eius sublimitatem, ita humillimis verbis, ita rudi (vt ita dicam) eloquio, & claro nos educarunt, vt mentibus nostris per fidem sanctam impresserunt catholici Patres ut facillime omnes percipiant, ab omnibus cuiuscunque secus acquiratur; huius totius scientiæ fundamenta omnia primæ dignitates, axiomata, prima principia à Deo solo reuelata, doctos pariter & indoctos, sapientes simul, & insipientes non latet, ea mulierculæ sapiunt, infantes discunt, paruuli docēt, omnes tuentur; resurgat ab inferis Aristoteles, & docebitur a mulieribus. Ea enim est de qua dicitur: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo, uera sapientia ista perdidit sapientiam apparentem antiquorum

phylosophorum. Vera prudentia prudentiam creditam veterum Imperatorum reprobauit: Ea est de qua totidem aduersus tirannos Catholici eloquij vehemens illa tuba Paulus apostolus gloriabatur quando dicebat: Arma nostræ militiæ non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, cogitationes destruentes, & omnem altitudinē extollentem se aduersus scientiam Dei, & captiuantem omnem intellectum ad obediendum Christo, & parati subiugare omnem inobedientiam, assurgant huic omnes scientiæ, hāc venerētur omnes sapientiæ, acquiescant omnes artes. Quis potest eius singulas laudes recensere? qui numerat multitudinē stellarum & omnibus eis nomina vocat, quæ scimus loquimur quæ possumus dicimus, quæ Dei sunt spiritus Dei nouit. Sapientes uisi sunt phylosophi, sed docti & non re vera sapientes oxtiterunt; Religionem enim quæ perpetuo, & indissolubili nexu sapientiæ adhæret minimè habuerunt; verum enimuero fuerunt & sapiētiores illis theologi, & re verè sapiētes, quia & omnia, quæ illi, & præter ea plura alia, quæ ignorarunt scire meruerunt, & quam ipsi non habebāt, cum sapientia religionem adiunctam habuere, a qua oritur omnis vera sapiētia, quæ est (iuxta diuini Lactātij dogma) cognoscere & colere ipsum Deum. Hanc phylosophi ferè omnes in toto vitæ suæ cursu quæsierunt, & totis viribus insudantes conati sunt acquirere eam, sed nec comprehendere, nec tenere potuerunt, & minus inuenire, quia religionem vel paucam, & illam prauam retinuerunt, aut totam penitus abstulerunt. Ad quid enim putatis Pythagoram, Architam, Platonem, Apollonium magnum laboriosissimè Aegiptios, Elamitas, Caldeos, Syros, Phenices, Arabes, & multas alias nationes peragrasse, prouincias multas lustrasse, maria transijsse nouos populos adijsse, amore indagandæ religionis incensos, nisi in earum gentium ritus, & sacra cognoscerēt vt qui multorum rerum scientiam habebant, religionem quoq;

quoq; ipsam perficientem adupiscerentur, in qua ueram sapientiam uenatii suspicabantur, ad Hyerosolimorum tamen imperium, ad quod facilius ire potuissent, nequaquam accesserunt, quod diuina prouidentia factum arbitrari debemus, ne ueri Dei cultus iustitia & religio cæteris hominibus, quibus nundum fas erat, innotesceret; statuerat enim ab æterno astripotens Deus Op. Max. decursis omnium Prophetarum temporibus, expletis omnium oraculorum dictis, ultimo seculo appropinquante sophum magnum cœlitus mittere, qui toto terrarum orbe à iudeis ablatam incredulis, in quibus tunc regnabat exteris gentibus reuelaret, quæ quidē cum religione ita nexu coheret indissolubili, ut ab illa, ista, uel ab ista illa diuelli non posit, nam ubi alterum adest, utrunque uerum esse necesse est, quia & in sapientia cultus & in cultu sapientia uersatur. Quomodo enim sapientes si non colentes? aut quomodo colentes si insipientes? ibi ergo sapientia cum religione coniungitur ubi Deus colitur unus, ubi uita, ubi mores, ubi actus, ubi opera, ad unam summam, ad unum caput, ad unum principium refertur? Et ubi hoc nisi in christiana religione, in sancta ecclesia ubi sunt idem doctores sapientiæ, qui & Dei sacerdotes? nec nos moueat quod aliquando Phylosophus aliquis susceperit Deorum sacerdotium cum non coniungatur phylosophia, cū religione, sed cesset inter sacra phylosophia, & religio cum phylosophia tractatur; insipientes ergo phylosophi, quia irreligiosi, sapientes theologi, quia religiosi, idcirco in religione sapientia, in sapientia religio est: sapimus quia colimus, colimus quia sapimus, sapientiā insequitur, amor, religionē timor, sapientia filios, religio seruos respicit. Amamus Deū per sapientiam, quia filij, timemus cum amore quia serui, Amamus cum timore, timemus cum amore, si amamus sine timore in elationem si timemus sine amore in disperationem incidimus, iungantur simul timor & amor, sapientia & re-

ligio perfecti sumus. Non potest igitur à religione sapientia nec a sapientia religio separari; Idem enim est Deus, qui debet diligi, quod est amoris, & coli quod est timoris: Idem est, qui debet intelligi quòd est sapiētiæ, & honorari, quod est religionis, sapiētia præcedit, sequitur religio. Prius cognoscimus, posterius colimus. Si ergo phylosophi non cognouerunt, quomodo colere potuerunt? & si non coluerunt, quomodo sapientes fuerunt? In his itaq; duobus nominibus sapientiæ & relegionis vis vna sola est, quamuis diuersa videatur, quorum alterum in sensu, alterum in actu positum est. sunt sicut duo riui ab vno & eodem fonte manantes: vnus sapientiæ & religionis fons est Deus, a quo hi duo riui, si aberrarint arescant necesse est; Quem qui nesciunt, nec sapientes, nec religiosi esse possunt. ergo soli sapientes, soli religiosi sacri theologi, qui ab hoc inexausto sapientiæ, & scientiæ fonte nunquam aberrarunt. sola theologia vera sapientia, sola sapientia Christiana religio, omnibus sapientijs sublimior, omnibus scientijs perfectior, omnibus artibus vtilior, omnibus disciplinis iucundior; Cuius sublimitas creatorem nedum creaturas vt phylosophia sacra attingit; Charitatem ne dum fortitudinem, iustitiam, & alias virtutes vt moralis assequitur; Cuius perfectio se habentibus, magnam suæ beatitudinis partem acquirit, quæ in diuinæ essentiæ contemplatione consistit. Cuius vtilitas non opes corruptibiles, aurum & argentum, sed immortalitatis cælorum incorruptibile regnum nanciscitur; Cuius iucunditas amaritudinē nescit, tædium non habet, sed gaudium confert & magnam cum immortalitate lætitiam. O ter quaterq; beatum virum, qui in sapientia ista moratur, per quam diuinam substantiam contemplatur, amicus Dei efficitur, ad regnum perpetuum deducitur, similis creatori redditur, beatitudinem, gaudium, & sine fine lætitiam acquirit, fœlix qui capit hoc.

salu-

saluberrimum fonte de loco uoluptatis militantis ecclesiæ emanante immergit, ex quo hauritur aquæ salientis in vitam æternam maxima copia. Quid uobis Celeberrimi Doctores) de sapientia de religione, ex quibus semper sacrorum theologorum collegia constiterunt, uidetur sanctissimi Hieronymi, imò iccirco fælicissimi & beatissimi, qui iureiurando auidissimè ex hoc fonte potauit, quod postea abundantissime fudit? sitiuit diuinam hanc aquam, quam cum tanta uoluptate gustauit. Hinc scaturierunt tot sapientiæ fontes, hinc tanquã e sacro paradiso quattuor emanãtia flumina processerunt doctores sanctissimi, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, qui doctrinæ suæ saluberrimis undis, totius orbis oras ab ortu ad occasum, ab aquilone & mari, longè lateq; irrigarunt; Miretur omne seculũ Augustini ingeniũ, stupeant omnes Ambrosii grauitatẽ, percurrãt Gregorij facilitatẽ, sed cum facilitate ingenio, & grauitate Hieronymi sapientiam & religionem mirentur, quarum altera, in eo humanam dignitatem transcendit, altera angelicam naturam adequat, in cuius pectore omnes liberales artes, omnes scientiæ & præstantiss. maxime sacrarum litterarũ doctrina, patrios (ut ita dicam) penates sibi ab ineunte eius ætate consacrarunt. Eius religionẽ tot frequentia ieiunia, tot corporis macerationes, tot diuturnæ orationes, tot psalmodiæ, tot solitudines attestantur. Sapientiã uero nulla lingua humana facile explicare potest, cum quæ sapientiæ partes in multis, dispersæ fuerint, in eo uno fuerunt aggregatæ: Miramur in Tulio eloquentiam, in Demostene efficaciã, in Pericle uehemẽtiã, in Hortensio copiã, in Isocrate suauitatẽ, At eorum singula hæc in uno Hieronymo experimur, quẽ cernimus uelut sydus unum in firmamento militantis ecclesiæ positũ, cuius splẽdor illuminat mundũ, & lux fulget quasi in perpetuas æternitates. Miramur quendam magnũ phylosophum Apolloniũ Persarum regionem intrasse

caucasi


caucasi alta cacumina montis pertransiisse, extremæ Indiæ opulantissima regna penetrasse, tandem paradisiaco physon amne transmisso ad Bracmanas peruenisse, vt hiarcam in trono sedentem aureo audiret. Et inde per multas regiones Aethiopiam perexisse, vt Gymnosophistas & famosissimam solis mensam videret in sabulo; sed quomodo non magis Hieronymum aspicimus Aegiptum, Græciam, Palestinam, totam Syriam, Caldeam, & ferè totius orientis oras perlustrare, vt libros quarumcunque linguarum & haberet, habitos euolueret, euolutos intelligeret, intellectos memoriæ mandaret nec non viros illustres & insignes alloqueretur, quorum fama a longe eum illuc perducere posset, & ei sicuti cupiebat euenit: qui enim tunc florebant Catholicæ fidei cultores maximos viros, & vidit & alloquutus est, ac multas ab eis veritates de Christiana religione perdidiscit, quod sibi ad maximam gloriam ascribit, & multum de eis in scriptis suis iocundatur. Ab adoloscentia sua patriam relinquens, Romam tunc omnium bonarum artium & disciplinarum disertissimam se contulit, vt ad quæ capescenda miro quodam ardore anhelabat facilius assequeretur, vbi per aliquot annos laudabiliter litteris vacans omnibus disciplinis, & liberalibus artibus est imbutus, plenè litteris tum græcis tum latinis, tum hæbraicis fuit eruditus. Non vulgaribus sed tunc fama & litterarum eruditione celebrioribus adhæsit præceptoribus Donato & Victorino, a quorum altero Grammaticam, ab altero Rethoricam perdoctus est, qui die ac nocte in huiusmodi studijs exercitabatur ita, vt de die Tullium de nocte Platonem auidiss. legeret, adeò vt ciceroniani potius quàm Christiani nomen sortiretur. An meministis, N. Romæ iudicem talis nominis vocatione in faciem eius stetisse, imo ob id diutissimè cædendum tradidisse? Sed quantū postea a seipso mutatus est, O saluberrima verbera. Iurat deinde, se nunquam amplius sæculares Codices habiturum,

quod

quod postea opere adimpleuit, ab ea enim hora semper auidissimè sacrarum scripturarum lectioni studuit, semper in illis exercitabatur, vbiq; inueniebat quod adisceret, vt semper proficiens semper se melior fieret. A Deo nundum natus ab vtero matris suæ ad sanctam Ecclesiam fuit vocatus. Ad hoc præseruabatur, vt ecclesiæ Cardo poneretur, ad eius fores suffulciendas. Si enim a Deo sacra vt sunt profecto, quomodò non à Deo Hieronymus erit? qui a sacri baptismatis regeneratione sacri nominis appellatione refulsit. Quã absurdum fuisset prophanis sacra misceri? Decuit ergo qui sacro nomine fulgebat doctrinæ sacræ vacare, vt sacra sacris, non sacra prophanis admiscerentur, in quibus ita floruit vt inter eiusdem doctores sapientiæ saltem primum locum facile sibi vendicarit. Nec mirum vobis videri debet de tanti viri intelligentia, cum adeò circa omnium disciplinarum genera diligens inquisitor fuerit, vt nullum in quauis facultate congruente doctorem excellentem resentiret, quem licèt longissimo locorum tractu distantem adire, audire, alloqui, & ab eo aliquid de quo sitibundus erat arripere noluerit. Testes sum magnus Gregorius Nazianzenus, Apollinarius, Dydimus, & quam plurimi alij, ea tempestate, doctrina insignes viri, a quibus multa tum viua voce, tum dictis, tum scriptis didicisse non erubuit, imò de tantorũ præceptorum lectione gloriatur, quos magistros habere non contempsit. Hinc est quod humanam naturam transcendens & fere angelicum adequans intellectum, in omni facultate summum apicem attigit, vnde postea in lucem prodierunt tot claritatis luce radiantia volumina, tot Dialogorum & Epistolarum libri, tot Conciones & sermones aurei, tot quæstiones arduæ solutæ, tot Hæreticorum dogmata improbata, tot sacræ scripturæ ardui textus dilucidati, tot fidei Christianæ religionem concernentes sententiæ solidatæ, tot libri expositi, tot translati, tot primorum Patrum dicta corroborata,

roborata, ut facile totius occidentalis ecclesiæ fundamenta per ipsum iacta conspiciantur. Quid ergo mirum, si tantis uirtutibus numen hoc corruscans ueluti iubar clarissimum maiores nostri huius almi Collegij nostri institutores, patronum peculiarem, præceteris tot sanctæ matris Ecclesiæ fulgentibus sydoribus elegerint & praelegerint, ut sibi & posteris nobis alijs omnium uirtutum exemplar relinquerent? Tales esse debent Christiani Theologi, maximè huius almi Collegij Bononien. qui hunc ante oculos sibi statuerunt imitandum, tanquàm ante se supra Candelabrum aureum lucernam ardentem, cuius luce & splendore omnem uitæ suæ cursum & studiorum suorum seriem luce clarius intuerantur. Dies me profecto deficeret, si quos peperint Hieronymi sapientia & religio, quæ apud eum semper plurimum ualuerunt, singulos uirtutum fructus recensere uellem, & quos adhuc uiuens edidit, & quos nobis post mortem reliquit, adeò ut non immerito Cardinalis dignitate donatus, post liberium Pontificem maximum summo sacerdotio ab omnibus fuerit acclamatus. Et ne eius singula merita percurram & dona, omnem sibi spiritum sanctum uindicauit, quo proximam excelso & immortali Deo in cælis sedem parauit, quam eius patrocinijs & meritis gloriosis intercedentibus, post huius corporis dissolutionem, ille nobis elargiri dignetur, qui regnat & imperat per omnia secula seculorum.

FINIS.



CONCIO HABITA CORAM S. D. N. SIXTO V. P. O. M.

DOMINICA PENTECOSTES ANNO M. D. LXXXIX.

PER LICENTIATVM DOMINICVM Leon de Alaua Theologum, Illustrissimi ac Reuerendissimi Marci Antonij Cardinalis Columnæ familiarem, necnon Congregationis Indicis Consultorem.





PERMISSV SVPERIORVM.

ROMAE, Apud Franciscum Coattinum. M.D.LXXXIX.

SVPER HAEC VERBA.

Factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes, & apparuerũt illis dispertitæ linguæ, tanquã ignis, seditq; supra singulos eorum, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & cæperunt loqui varijs linguis prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Act. 2.



Ostquam [a] Salomon Rex sapientissimus, (Pater Beatissime) * Templum illud sumptuosum magnificentissime construxerat, tam insigni structuræ arte & perfectione fabricatum, tot gemmis atque margaritis clarissimis, aureis poculis, pretiosis vasis & ornamentis locupletatum, vt pulchrius, seu præstantius aliud excogitari non posset: quippequi omne suæ sapientiæ studium, regnique potentiam, in insigni illius ædifitij fabrica impendere nõ dubitarat. (Nec quid maius dici posse crediderim) vtrũq; enim cum maximũ esset, quorum alterũ, altero magis [b] Reginam Saba in admirationẽ traduxerit, non facile discerni potest. Cum itaque hæc diuina domus, pro Regis debito & humana facultate perfecta; præsentia solum maiestatis Dei diuinitus expectaret absolui. Iam enim arca fœderis, quæ legis tabulas continebat, cum omni paratura tabernaculi ad oraculum templi ibi fuerat collocata, Sacerdotibus centum & viginti, byssinis vestibus, & ornamentis indutis, cum leuitis ac reliqua populi multitudine, coram Rege adfundẽdas ad Deum preces & vota simul omnibus congregatis, cum dulcissimo musicorum cantu, vocum ac fidium concentu, aduentũ Domini vnanimiter spectantibus: Ecce repente *impleta est domus Dei nube, ita vt sacerdotes stare & ministrare non possent, impleuerat enim gloria domini domum Dei.*

Tunc omnis, populus & turba, silens & tacens stetit intenta. At sapientissimus Rex, animum ad præteritorum memoriam reuocans, illumq; [c] apparendi modum gratissimum domino sæpissime extitisse reminiscens, ac propterea sub nube & caligine [d] se super

2. Pa
* S. liter
3. re
Exo

oraculum ostensurum promisisse plenus gaudio, hilari vultu, in-
gentiq; perfusus lætitia, cum populum a se benedictum tum
etiam sacras ædes, diuino latenti numini, copiosissima oratione
protegendum obtulit. [c] atque illius diei solemnitatem, hymnis,
r 8. orationibus canticis, innumerisq; musicæ instrumentis, ac victi-
matum generibus, per septem continuos dies, singulis quoq; an-
nis, cum magna lætitia, celebrandam instituit. * Non aliter pro-
us fi fecto verus ille Salomō, [f] imo plusquā Salomon ille, [g] filius Dauid
tin'. c filius Habraham, postquam viuæ construendæ Ecclesiæ [h] sacram
.12 inuiolabilis petræ firmitatem, æternum iecerat fundamentum, su-
g per quod Ecclesiastici ædifitij altitudo consurgeret: postquam
b. 11 discipulos suos, in præstantissimas Columnas erexerat, quibus di-
b uina domus suffulta immobilis vndique permaneret: postquam
b.19 amborum parietum, (quos forsam duo illa sanctisimę crucis li-
i .28. gna repræsentabant.) se [i] angularem lapidem, ([k] quem reprobaue-
eph. runt ædificantes) tanquam totius ædifitij clauim, expansis hinc
inde manibus, in caput anguli constituerat: postquam preciosis-
k sima sacramenta, (velut vasa gratiæ aurea) tam ad agni immacu-
117. lati hostiam, quam ad peccatorum expiationem necessaria, excel-
l lentiæ suæ auctoritate condiderat: postquam [l] Pontificem sum-
20. mum creauerat, atq; Ecclesię sacerdotes instituerat: postquam in
1. m ea sacrosanctum Dei tabernaculum, (in quo non legis tabulæ sed
b 26 ipse legislator omni potens continebatur) [m] corpus suum & san-
n guinem mirabiliter collocauerat: ac tandem [n] mundans eam la-
.5. uacro aquæ in verbo vitæ, gloriosam sibi Ecclesiam, non haben-
o tem rugam neque maculam, [o] nouam, descendentem de cœlo a
oc.21 Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo, gloriosis merito-
p .61. rum suorum [p] monnilibus decorauerat; [q] cum essent omnes disci
q puli pariter in eodem loco, ([r] erat enim turba hominum simul fe-
c. 2. re centum & viginti) splendenti & candido [s] iustificationis bys-
r sino vere induti, [t] promissum spiritum sanctum, vno omnium ani
.1. mo deuotisime spectantes, vnoq; ore poscentes: *Ecce [u] repente de*
s *cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis & repleuit totam do*
.19. t *mum vbi erant sedentes. &c.*
.15. O inneffabilem sancti spiritus aduentum, o fidelium inestimabile
u beneficium, o pręstantissimā legis Euangelicę excelentiam. Tunc
c. 2. enim tanquam in lege timoris, iustitiæ & vindictæ, in præuento
quodam aduentu, nullo prius cognito nuntio aut signo, stanti po-
pulo, sub nube & caligine (quæ sæpisime timorē incutiunt) la-

tens & occultus apparuit dñs. Nũc autẽ in lege amoris [x] libertatis & gratię quia [z] non accepimus spiritum seruitutis iterum in timore sed spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus aba pater, sedẽtibus dscipulis magnum, certe tranquilitatis signũ, in clarissima gratissimaq; lucæ venientem iucundissimus præuenit sonus. Tunc etiam, quoniam noctu deambulantibus nocturno habitu & vestitu incedendum est (sicut communis vsus hominum iam recepit) quia lex illa nox, vmbra, ac [a] figura futurorum erat, nube & caligine quasi nocturnis vestibus venit indutus. Nunc autem subsecuta luce & splendore veritatis, quando [b] nox præcessit, dies autem appropinquauit, in diuina claritate atque in spetie fulgenti voluit apparere. Tunc preterea tanquam in sterili atq; in infęcunda hyeme, quando glatie & frigore omnia rigẽt, omniaq; marcescunt, nebula ac nubibus, radiis solis frequentissime oppositis, sub nube & caligine venit, vt omnia illius legis sacramenta [c] egena esse vacua & infirma ælementa aperte ostenderet. Nunc autem, tanquam in fertilissimo vere, quando feraces agri, segetes spicis abundantes vberibus, plantæ florum suauissimo odore flagrantes, arbores dulcissimis fructibus copiosæ meses, flores, ac fructus suos hilares vnicuibue proferunt, nullique manum extendenti quidquam denegant, imo singulari quadam pulchritudine & vęnustate, velut muta quadam lingua, tacitisque verbis omnes ad capiendum inuitant, nunc (inquam) quãdo iam [d] hyems transiit, imber abiit & recessit, floresq; apparuerunt in terra nostra, ac ficus protulit grosos suos, quoniam omnia sacramenta vberrimos gratię fructus in se continent, ac digne accedẽtibus copiosissime conferunt, tanquam in splendidissimis, ac fęcundissimis solis radiis, omnia claritate lustrantibus, suaque fęcunditate complentibus, in linguis igneis cęlestia super discipulos diffundens munera vissus est. Tunc tandem tanquam in lege obscura, in qua [e] olim Deus patribus in prophetis, [f] in somnijs per figuras, seu inuisione per parabolas, velut in ænigmatibus loquebatur, quasi consulto vellet, vt latenter & tacite sub verborum obscuritate compressa misteria seruarentur, vt [g] videntes non viderent & intelligentes non intelligerent propterea latenter & tacite descẽdente Domino, omnis etiam populus & turba silens & tacens stetit intenta. Nũc autẽ quãdo [h] loquutus est nobis in filio, in lege clara expręssa, ac toto orbe notissima, reuelanda paruulis, & a pauperibus publicanda, in linguis igneis, cum cœlesti sono, descendente do-

Iac. / & / Rom. / 1. C / Rom. / ad G / Cãt. / Heb / Num / Esa / Luc. / Heb

mino omnis sacra discipulorum turma, loquebatur varijs linguis; prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Verum enimuero legem illam, soli populo hebręo latam, sola materna lingua doceri opus erat: hæc autem quia per [i] vniuersum mũdum, omni creaturæ, [k] ab vnius gentis, & nationis magistris prędicanda venerat, eos omni sciẽtia, omniq; linguarũ facultate imbui postulabat. Et [l] si gẽtibus, quæ superbia ellatæ, turrim contra Deum ędificare conatę sunt, vna materna lingua confusa est: his qui profunda humilitate fundati, vniuersalem gentium, atq; exterarũ nationum Ecclesiã, Deo ædificare volunt, omnia genera linguarum diuinitus ælargiantur. Et si illis, ad idololatriam declinantibus, diuersitas linguarum instrumento fuit, eisdem ad vnius dei cultum reuocandis, earundem linguarum donum, subsidium fore necesse est.

Si ergo P.B. ex typico illo dñi aduentu, tãta populi lętitia oborta est, tantum gaudium, tantaq; alachritas redundauit: vt prę animi gratitudine, nulli musicorũ instrumento pepercerint, nullumq; exultationis signum reliquerint, itaut [m] bobum, viginti duo millia arietum autẽ centum viginti millia, ad sacrificium, & victimas vix suppeterent; nos in hoc præstantissimo, fęlicissimoq; sancti spiritus aduentu, quo Ecclesiam sanctam, tot tantisq; cummulauit muneribus, quo gaudio, qua lætitia, quaue animi gratitudine exultabimus? Cęterum si hæc est, sacrosanctæ matris Ecclesiæ laudabilis institutio, hoc vere pietatis obsequium, gloriosa sanctorũ merita, perpetuis pręconijs, & laudibus, in eorũ natalitiis extollere, toto corde gaudere, atq, honorifice celebrare: quanto feruentius, hodiernæ festiuitatis misterijs, adhanc deuotionem illecti, & inflammati rapiamur integrũ erit, quibus sancti spiritus, diuinæ bonitatis & misericordię opera protestantur, aquo sancti omnes, tanquã ex peremni, bonorũ omnium fonte, virtutes hauserunt & merita? vnde enim constantiam martires, vnde virgines continentiam, vnde confesores perseuerantiam, nisi ab hoc diuino spiritu, gratuito quodam dono & munere receperunt? Nam [n] si diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, diuisiones ministrationum sunt, idem autẽ dominus, diuisiones operationũ sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Idem (inquam) spiritus, quem propterea & dñm, & verum Deum, Apostoli, testimonio confitemur, quod licet illum, a patre & filio persona distinguit, immensa tamen bonitas, & essentia nullatenus separat, quia [o] ii tres vnum sunt: ipse dator munerum, beneficiorum largitor, donorumq; est

optimus distributor. Quare de sanctorum triumphis, monumentis, & gloria, simul & lætari, & huic diuino largitori gratulari debemus. Propterea si perspicuum est, in collatis beneficijs quanta sit laus, cum in acceptis tanta sit gloria: dum sanctos viros, quos iā super omnes cœlos, virtutum accepta beneficia extullerunt, nos iterū, illos vsq, nostris laudibus efferre nitimur, sanctificantem ipsos spiritum, qui eis & meritorum munera, & præmiorum gloriā, in beatitudinis fęlicitate donauit, quo digno laudum genere celebrabimus? Si dum illorum festos dies aniuersarios agimus, qua animi alachritate possumus, velut eorum gaudemus gaudium: quamuis temporalem vitam, cum æterna vereq; beata commutantes, gratissimo nos suo consortio ac societate priuarunt: in spiritus paracliti, egregio magnoq; paschate, cuius suauissimus, optatissimusq; aduentus, [p] maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc, diuinæ efficeremur consortes naturæ, qua lætitia perfrui, quibus gaudiis, seu grati animi monumentis, exultare oportebit? 2. p.

Omnis quippe humana facultas (Illustrissimi Principes) ad tantam habendam gratiam, quanta debetur inops est, nedum referendam. Erumpant ergo, erumpant præ lætitia lachrimæ, procedant simul & voces, quibus ab eodem diuino spiritu, condignum gaudium, debitamq, gratiarum actionem imploremus. * Atq; vt idem ipse spiritus, fons gaudij, ac plenum lætitiæ Dei donum, [q] cordibus nostris, per charitatem infussus, magna nos, sui spiritualis aduentus alachritate perfundat, (qui vt vera [r] Dei templa simus si habitet in nobis sat est;) pro tot musicorum generibus, & instrumētis, vnum [s] decem cordarum Psalterium, diuinis auribus iucundius pulsemus. Delectatur enim, & gaudet dominus, in illo [t] dechalogi decem fidium instrumento, consona charitatis cōcordia resonante. Et quis dubitat, quin melior, ac suauior, actionum quam vocum concentus sit, ac bonorum operum, dulcior quam sonorum armonia? Ac pro tot bobum, atq, arietum victimis, vnum [u] sacrificium laudis melius, alterum [x] cordis contriti, & humiliati præstantius, reliquum agni immaculati Christi, omnium pręstantissimum offeramus; [y] beneficientię, & communionis memores, talibus enim hostiis promeretur Deus.

* S. spiri. lis. Rom 1. Co & 6 Psal. Exo. Psal. Psal 1. Co et 1. Ad 12.